

HESYCHII MILESII

ONOMATOLOGI

QUAE SUPERSUNT

CUM PROLEGOMENIS EDIDIT

IOANNES FLACH.

ACCEDUNT APPENDIX PSEUDOHESYCHIANA INDICES
SPECIMEN PHOTOLITHOGRAPHICUM COD. A.



LIPSIAE,

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXII.

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

De Biographis Graecis minoribus post I. Vossii de historicis Graecis mirum opusculum optime a Westermanno vulgatum (Lips. 1838) et D. Ruhnkenii Graecorum oratorum historiam criticam, quam editioni Rutilii Lupi praemiserat (Lugd. 1768), primus eximie meritus est Meineke historia critica comicorum Graecorum (a. 1839), deinde Westermann editione sua Biographorum minorum a. 1845 curata, qui tamen apparatum potius criticum ex codicibus conficiendum quam textus emendationem respexit, quem permultis locis corruptum reliquit; nec magis inter genuinas vitarum partes et additamenta distinxit. Magnum vero vitarum numerum ab eodem omissum fuisse et ex apparatu meo et ex indice s. fin. descripto colligas. Post Westermanni insignem industriam pauci ad emendandum vitarum textum aggressi sunt, inter quos Müller historicorum Graecorum fragmentorum collectione eminet. Nuperrime autem et Rohde et Daub novis doctrinae thesauris, cum et Hesychii Milesii, fontis Suidae, indolem et studium subtilius essent rimati et historiam litterarum Graecarum aliunde perscrutatam et temporum rationem ac terminos ad emendationem adhiberent, Hesychii vitarum magnam partem emendare mendorumque genus patefacere studuerunt, quorum ille coniecturas publicavit dissertationibus Mus. Rhen. XXXIII p. 161 seq. XXXIV p. 561 seq. al. et in notis egregii operis, quod inscripsit „Der Griechische Roman“, Daub et in disputatiunculis Annal. phil. 1880 p. 24 seq. et 1881 p. 241—267, Mus. Rhen. XXXV p. 56 seq., et in dissertationibus de Suidae Biogr. or. et fide Annal. phil. Suppl. XI p. 405 seq., de Eud. Violarii fontibus Frib. 1880 et in libro „Studien zu den Biographika des Suidas“ (Freib. 1882), cuius cum correcturas mihi ad meum usum concesserit, quamquam mea iam typis exprimebatur editio, multa inde acquirere licebat. Idem non fieri potuisse doleo ex Rohdei dissertationibus Mus. Rhen. XXXXI p. 380 seq. et 524 seq., et ex Wilamowitzii insigni libro, quem inscripsit Antigonos von Karystos (Phil. Unters. IV 1881), quibus non nisi in paucissimis Prolegomenon et

apparatus notis uti poteram. Multi autem alii, quos in apparatu laudavi, occasione data huius illiusve vitae corruptelas sanaverunt totasque vitas commentariis suis adumbraverunt facilemque aditum ad eas intellegendas paraverunt. Quorum ex numero quod nusquam laudavi Cobeti Observat. crit. p. 145—167, noli mirari, cum omnia menda, quae ibi correxit, iam ab aliis multo ante purgata esse viderim.

Ipse Hesychii Milesii textum ex Suidae lexico erui ad optimorumque codicum fidem restitui, apparatum potiorem tantum subscribens, eumque omnino in additamentis spuriis omittens, eaque emendans, quae post Hesychium a librariis vel ab ipso Suida corrupta esse suspiceris, saepiusque verborum ordinem genuinum, ubi aperte violatus videbatur esse, restituens; rarissime vero, ubi omnes Suidae libri corruptelis obruti erant, Violarii lectiones haesitans restitui. Pauca revocavi, quae vel in libris manuscriptis non leguntur vel a me aliisque coniectata primus in textum recepi, omnia uncis obliquis ⟨ ⟩ secludens. Ubicunque autem quadratos uncos admisi [ ], verba inclusa Hesychii Milesii non esse vel manifestum vel admodum probabile est, quod omnino etiam ad plures vitas, quas reiicere nolui, pertinere moneo. Neque enim usquequaque utrum vita Hesychiana sit necne cum satis dilucide dignoscere possimus, alios de aliarum vitarum genuitate dubitaturos esse non ignoro, quemadmodum ipse de nonnullis saepius dubitavi atque etiamnunc dubito.*) At melius omnino

---

*) Velut *Σιβύλλης Χαλδαίας* vitam uberiorem, quam Hesychii esse putavi Unters. p. 73 et Annal. phil. 1880 p. 107, nunc Suidanam habeo, at certe maximam eius partem, nec minus gl. *Ἔφορος καὶ Θεόπομπος*, quam Hesychianam duxi Mus. Rhen. XXXV p. 194 (cf. etiam Daub, Stud. p. 133), *Ζάμολξις* (cf. Mus. Rhen. XXXV p. 201), quas hac editione removi, quamquam de aliis, velut de Zaleuco, quam expunxi, iure dubitet aliquis, qui secum reputat glossas Draconis et Lycurgi (de qua nunc cf. etiam Rohde, Mus. Rhen. XXXVI p. 540 not.) al.; gl. *Ἱππόβοτος* a Suida ex Diog. Laert. prooem. 10 descriptam puto, v. *Ἀναξαγόρας* ex Harpocratione et Byzantino historico (cf. Mus. Rhen. XXXV p. 203), in qua erravit Nietzsche, ib. XXIV p. 218 et 224, v. *Ἰσαῖος* ex Harpocrationis lexico, quamquam obloquuntur Volkmann, Quaest. nov. XIII et Daub, Stud. p. 147, gl. *Μίθαικος* ex Athenaeo XII p. 516, v. *Ἀννίκερις* ex Laertio et altero fonte, quamvis ex contraria parte disputat Nietzsche, Mus. Rhen. XXIV p. 215 (sed quae idem p. 216 de Aristippo observavit, apud Laertium II, 86 legi patet), gl. *Ἀντικλείδης* ex schol. in Aristoph. Nub. 149, gl. *Κάλλιππος* et *Λεσχίδης* fortasse ex historico aliquo, *Διοσκόριος* et *Καισάρειος* fortasse ex aliis lexici glossis, dubitans etiam de gl. *Τελέστης*, quam Suidam composuisse probabile est. Gl. *Διονύσιος Ἀλεξανδρείας* Suidae esse negat Daub, Stud. p. 130, quode aliter sentio. Neque omnibus alteram gl. *Ἀκάκιος*, a Westerm. p. 328 descriptam, quam cum Boissonadio ex Eunapii historiis additam esse censeo (cf. I p. 339), merito remotam esse persuasum erit. Omnino autem dubitationem movent,

duxi nonnullas addidisse, quae fortasse Hesychii non sunt, quam alias omisisse, quas vere Hesychianas esse hic vel ille sentiat.

Tertium denique uncinorum genus in illis vitis collocavi, quibus plures vel eiusdem nominis vel similitudine congruentis scriptores confusos esse certissimis concludi potest argumentis, lineolis simpliciter rectis | | usus, si quae ad alterum cognominem spectant, duplicatis || ||, quae ad tertium, quamquam plerisque locis Hesychiine lateat error an epitomatoris an ipsius Suidae an denique librarii alicuius iure potest ambigi; at Hesychium ipsum errasse ubique fere probabile est. Quas omisi, quotiescunque, praesertim cum alii aliud expunxerint, rem non satis firmam esse perspectam habebam, velut, ut unum afferam exemplum, in Theonum vitis.

Difficilius autem erat iudicatu, quaenam vitarum Suidanarum partes merito Hesychio abiudicandae sint, quamquam illae quidem multis in articulis Suidanis a criticis vel paulisper in his quaestionibus versatis sine magno opere denotari possunt. Ipse equidem Mus. Rhen. XXXV p. 191 seq. magnum additamentorum numerum examinavi eaque a vitis Hesychianis seiunxi, quod officium postea etiam Daub, Stud. p. 124 seq. eadem qua solet prolixitate praestitit. Et meam dissertationem et Daubii, quoad potui, priusquam ad textum Hesychii restituendum adhibui, accurate perscrutatus sum. Illud vero nunc me addere oportet, quod nimis neglexi Mus. Rhen. l. c. Suidae enim nonnullas vitas philosophorum, quoniam ex parte legi etiam apud Cedren. I p. 270 sq. (cf. quae contuli Anaxagorae, Anaximandri, Thaletis) ostendi, ita ut communi ex Byzantino fonte utrique manaverint — nam errans Cedrenum ex Suida sua sumpsisse putat Diels, Doxogr. p. 156, — postquam Diels l. c. alterum Cedreni fontem esse Hippolyti Philosophumena sagaciter docuit, utroque in Cedreni fonte alteroque Suidae placita Philosophorum potissimum extitisse suspicor, quibus videlicet nullus locus in Hesychianis vitis datus fuerit, qua de re compares Hesychianas vitas Democriti cum Hippolyti (p. 565 Diels.), Archelai, Empedoclis al. Quod si rectum est, omnibus in vitis Hesychianis philosophorum placita et dogmata utpote Suidae manu ex altero fonte addita nec minus removenda esse videntur, quam nonnulla apophthegmata, quae hic inde s. fin. vitarum occurrunt (cf. *Θαλῆς*, *Κλεόβουλος*, *Νεοκλῆς*, *Πιττακός*, *Σόλων* al.).

Restat, ut pro iis gratias referam, quae praestitit A. de

---

quae arctioribus terminis cohibentur, velut gl. *Καρκῖνος Ἀστ.* multaeque aliae. Attamen in his quaestionibus sero consensum criticorum fore nemo nescit.

Gutschmid, in quem, opinor, melius convenit, quod de Longino dictum est: *βιβλιοθήκη τις ἦν ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον*, qui summa cum benevolentia omnium historicorum vitas recensuit magnumque coniecturarum numerum mecum amice communicavit. Hercle mihi ad Plinii exemplum fateri licet: mihi certe, quotiens aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. Nec minus grates debendae A. Daubio Friburgensi, qui postquam per litteras mihi multas vel emendationes vel coniecturas ad Hesychii vitas nondum publicatas vel adhuc in manuscripto depositas misit, benigne etiam mecum corrigendi molestiam suscepit insignique cum industria peregit. Nec merita laude fraudandus est Paulus Knapp, professor gymnasii Tubingensis, qui et ipse emendationi operam dedit.

Scripsi mense Decembri 1881.

INDEX LIBRI.

Prolegomena p. IX—LXVII
Caput primum. **De Hesychii vita et scriptis** p. IX—XIV
§ 1 de vita
§ 2 de scriptis
§ 3 de epitome Onomatologi
§ 4 de continuatore
Caput alterum. **De iis libris, quibus Onomatologi reliquiae servatae sint** p. XV—XLVIII
§ 1 de scholiis Platonicis
§ 2 de schol. Anthol. Pal.
§ 3 de Suida
§ 4 de Eudocia (I. de Eudocia, II. de Suidae codicibus, III. de Violarii textu, IV. de Eud. additamentis, V. de lacunis Eud., VI. de lectione praestantiore)
§ 5 de vitis Theodosianis
§ 6 de Anonymo Crameri
§ 7 de scholiasta in Lucianum
Caput tertium. **De fontibus Hesychii** p. XLVIII—LXVII
§ 1 de fontibus antiquissimis
§ 2 de Laertio Diogene, Damascio, Argesphonte, Porphyrio, Aristocle
§ 3 de Asclepiade Myrleano
§ 4 de Philone Byblio, Callistrato al.
§ 5 de Hermippo Berytio
§ 6 de eo fonte, ex quo pictorum vitae descriptae sunt
§ 7 de Dionysio Halicarnassensi et Athenaeo
§ 8 de libris chronicis Heliconii, Phlegontis, Eugenatoris al.
§ 9 de fontibus, quos iniuria critici statuerunt
§ 10 de Sophronio (i. e. Hieronymo)
§ 11 de Hesychii Chronicis vel Capitone, qui Romanorum auctorum vitas enarravit
Addenda p. LXVIII—LXXI
Hesychii reliquiae p. 1—240
Appendix. Vitae Apollonii Dyscoli et Herodiani, Claudii Ptolemaei, Oppiani, Aristotelis Menagiana et Marciana p. 241—255 (cf. Prol. p. XVIII not.)
Index vitarum. Indiculus glossarum a Westermanno neglectarum p. 257—263.

PROLEGOMENA.

Caput primum.

De Hesychii Milesii vita et scriptis.

Hesychium Milesium Illustrium[1]) sunt qui Iustino § 1 regnante (518—527) vixisse putent (cf. Bergk, Lit. Gr. I p. 292), sunt etiam qui Iustiniano (527—568)[2]), inprimis adducti epitomatoris Onomatologi verbis in ipsius Hesychii vita extantibus *γεγονὼς ἐπὶ Ἀναστασίου βασιλέως* (491—518), quae derivata esse ex historiae Hesychii terminis neminem fugit; Suidas enim dicit illam pertinere *ἕως τῆς βασιλείας Ἀναστασίου τοῦ ἐπονομαζομένου Δικόρου*, Phot. cod. 69 *κάτεισι δὲ μέχρι τῆς τελευτῆς Ἀναστασίου, ὃς Ῥωμαίων γέγονεν αὐτοκράτωρ* et ib. *μέχρι τῆς Ἀναστασίου τελευτῆς* (cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXIV p. 184). Quorum opinio vel altero Hesychii libro confirmari videtur, *ᾗ*, ut ait Photius, *περιείχετο τά τε Ἰουστίνῳ πραχθέντα, ὅπως τε Ἀναστασίου τελευτήσαντος αὐτὸς ἀνερρήθη. εἶτα καὶ τοῦ Ἰουστινιανοῦ τοῦ μετὰ Ἰουστῖνον ἔστιν ἀνάρρησιν κατιδεῖν καὶ τὰς ἄλλας πράξεις μέχρις ἐτῶν τινων* (*τριῶν* sine idonea causa coni. Bekker) *τῆς αὐτοῦ βασιλείας*, quamquam ex verbis insequentibus *καὶ τὸ λοιπὸν ὁ συγγραφεὺς ἐπεσχέθη, θανάτου τοῦ παιδὸς Ἰωάννου τὴν ψυχὴν καιρίαν βληθεὶς καὶ τῆς πρὸς τὸ γράφειν ὁρμῆς ἐκκοπείς* Hesychium mortem filii aegre ferentem opus incohatum non perfecisse i. e. Iustiniani imperatoris res

---

1) Hesychius Illustrius audit apud Phot. cod. 69 et 70 al., quod epitheton in vita eius Suidana desideratur. Cf. quae dixi ad v. *Προκόπιος* et *Χριστόδωρος*.

2) Cf. Hesych. ed. Meursius p. 112; ed. Orelli p. 271; Müller, fr. hist. IV p. 143 al.

gestas non, ut sibi proposuerat, prorsus absolvisse patet.[1]) Unde si Hesychium Iustiniani aetate vel paulo post scripsisse satis probabiliter concludere fas est, altero inniti possumus loco Constantin. Porphyr. de Themat. lib. I, 2 *οὔτε γὰρ Προκόπιος οὔτε Μένανδρος* (qui historiam annorum 558—582 scripsit) *οὔτε Ἡσύχιος Ἰλλούστριος ἐμνημόνευσε καὶ τοιούτου ὀνόματος, οἱ τὰ χρονικὰ συντάξαντες ἐπὶ τῆς Ἰουστινιανοῦ βασιλείας* (cf. lib. II, 8), ex quo Hesychium post Menandri Protectoris tempora vixisse colligi potest. Quod si Iustiniani aetatem laudat auctor, nil nisi sextum saeculum Iustiniani potissimum rebus gestis celebratum intellegi vult, cum ne Menandrum quidem sub Iustiniano, sed sub Tiberio II (578—582) scripsisse constet. Unus autem restat de Hesychio locus memorabilis Codini, de orig. Const. p. 18 (ed. Bonn.), ubi ita se narrasse dicit auctor, *καθὼς ἱστοροῦσιν Εὐτυχιανός — καὶ Εὐτρόπιος ὁ σοφιστής — Ἐλεύσιος τε διάκονος ὁ φιλόσοφος — Τρωΐλος ὁ ῥήτωρ — καὶ Ἡσύχιος ὁ ταχυγράφος.*[2]) *οὗτοι· πάντες αὐτόπται γενόμενοι τῶν τηνικαῦτα πραχθέντων ἀκριβῶς ταυτὶ συνεγράψαντο.* Sed de tempore, quo Hesychius vixerit, pariter erravit Codinus ac de Troili, cum Constantini eos aequales fuisse putet, id quod notavit Müller IV p. 4; nam nostrum Hesychium Milesium, a quo ipse in rebus Constantinopolitanis enarrandis totus pendet, eum respexisse admodum veri simile est.

Itaque cum ex eorum auctorum, qui de Hesychio agunt, opinionibus nil certi de hac quaestione possit percipi, praestantissima nobis afferuntur argumenta ex illorum vitis, quos ipse Hesychius descripsit — qua de re primus disputavit O. Schneider, Callim. II p. 27[3]) — inter quos Petrum Ma-

1) Neque enim, quid Daub, Stud. p. 151 not. de hac re iudicet, intellego.

2) Patrem eius *δικηγόρον* fuisse Suidas narrat.

3) Qui hosce sexti saeculi scriptores enumeravit: Agathias, Christodorus, Coluthus, Damascius, Eugenius, Eustathius, Hermolaus, Malchus, Marianus, Nicolaus rhetor, Pamprepius, Panolbius, Petrus Magister, Procopius, Timotheus Gazaeus, Tribonianus, Zosimus. Nec minus recte idem observavit, in glossis *Ἀψύρτιος, Γυμνάσιος, Ἑλλάδιος, Θέων Σιδώνιος, Ἰάμβλιχος, Ἰουλιανὸς Δόμνου, Λιβάνιος, Οὐλπιανὸς Ἀντιοχεύς, Παλλάδιος, Παῦλος Αἰγύπτιος, Προαιρέσιος* de Constantino im-

gistrum (mortuum c. a. 560), Laurentium Lydum (c. a. 565), Agathiam (c. a. 582), Eustathium Epiphanensem et Theodorum Lectorem[1]) fuisse nemo est qui neget, quamquam de nonnullis nuperrime dubitavit Daub, Stud. p. 152 not.; de Menandro autem Protectore, Theophylacto Simocatta, Pauloque Aegineta res non satis constat. Itaque aut exeunte saeculo sexto aut ineunte septimo Hesychius vixit imperante Mauricio, quo tamen fieri potest, ut extremis Iustiniani imperatoris annis natus sit (c. a. 560).[2])

Nec plura vel certiora de familia Hesychii extant vestigia. Nam cum pater eius Hesychius causidicus prorsus sit ignotus, matris nomen *Φιλοσοφίας*, quod tradiderunt Suidae libri ABVE (*Σοφία* rel. et vulg. Phot.) et Phot. cod. 69[3]), nusquam occurrit, quamobrem suspectissimum illud esse opinor.[4]) Hesychium autem, Iacobi medici patrem, Leonis (457—474) aequalem, Procli et Isidori (cf. Suid. v. *Ἰάκωβος*; Phot. bibl. p. 344) eadem de familia descendere haesitans suspicatus sum Mus. Rhen. l. c., nec minus Hesychium alterum Alexandrinum, qui glossarium scripsit, ita ut *Εὐλόγιος ὁ φιλόσοφος*, cui ille glossarium misit, non diversus sit ab eo, quem laudavit Malchus in Müller. fr. hist. IV p. 114.

---

peratore ita sermonem esse, tanquam unus tantum eius nominis imperator fuerit, quod deceat Hesychium, non Suidam. At cum v. *Νικόλαος ῥήτωρ* allegaverit *ἐπὶ Λέοντος βασιλέως τοῦ πρεσβυτέρου* nullam illi argumento vim inhaerere puto, cum codices *τοῦ πρεσβύτου*, praebeant, quemadmodum etiam aliis vitarum locis in utramque lectionem dissentiunt: cf. ad v. *Ἰσίδωρος*, *Λιβάνιος*, *Μελανιππίδης*, *Παγκράτιος*, *Παναίτιος*, *Φερεκύδης Ἀθ.*

1) Theodorum ab Eustathio aetate paulo superari discas ex Sarrazini, de Theod. Lect. diss. p. 218 in Comm. Ien. (Lips. 1881). Eustathii enim historia a. 502 terminabatur, Theodori a. 518 vel posterius. Cf. Vos. hist. Gr. p. 320 West. et Malala p. 399, 3, qui testis nobilissimus est.

2) De hac re consentiunt Rohde, Mus. Rhen. XXXIV p. 563 not. 1, Daub, Stud. p. 151 seq., Maass, Biogr. p. 114 not. (Phil. Untersuchungen III). — Ceterum occasione data moneo, Plutarcheorum scriptorum catalogum, qui Lampriae nomine gloriatur, cum laudetur ab Hesychio, ante eius aetatem, i. e. tertio vel quarto saeculo, compositum esse. Recte igitur iudicavit Treu, über d. sog. Lampriascatalog p. 53 seq. (Waldenb. 1873).

3) Idem revocavit Müller duobus locis Gloss. verb. iuris in Otton. Thes. iur. III p. 1818 et 1794, quibus antea legebatur *ὁ φιλοσοφήσας τῆς Μιλησίας*.

4) Ipse tentavi Mus. Rhen. XXXV p. 231 not. *υἱὸς Ἡσυχίου δικηγόρου καὶ φιλοσόφου*, Daub, Stud. p. 4 *δικ. καὶ φιλοσοφίας γέμοντος*.

Atque Christianorum religionem Hesychium Milesium confessum esse docui Mus. Rhen. l. c. p. 199[1]), quae res cum inde probatur, quod illis temporibus rarissime auctores pagani adhuc extabant (qua de causa disertis verbis id commemoravit Phot. bibl. p. 54 Bek. de Eunapio, p. 84 de Zosimo, p. 97 de Damascio, nec non p. 55 perstringit Malchum, aliquotiesque reprehendit si quis sero christianus factus est), tum inde, quod filio eius nomen Ioannis christianum tributum erat.[2]) At non laetus christianae fidei confessor videtur fuisse, quod conicias ex gl. Ἰωάννης Φιλόπονος, si quidem vere Hesychiana est.

§ 2 Scripserat Hesychius Milesius teste Suida praeter duos libros historicos, quos supra allegavi, Ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, non chronologico ordine compositum, quod nonnullis visum est[3]), sed alphabetico vel antistoichico (nam utrum Hesychius an epitomator an ipse Suidas ordinem antistoichicum primus adhibuerit, ambigitur), qualis erat in libris περὶ ὁμωνύμων (cf. quae dixi Annal. Phil. 1880 p. 832). Quod opus paulo post ipsius Hesychii aetatem i. e. saeculo septimo[4]) epitomator breviavit, cuius opusculo Suidas se usum esse fatetur v. Ἡσύχιος additis ex epitome verbis οὗ ἐπιτομή ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον, quae epitomatoris de suo libello dicta sunt.[5]) Eodem autem loco

---

1) Verum vidit etiam Rohde, Gr. Roman p. 475 not. 1.

2) Ineptit igitur, ut de his quaestionibus solet, Maass, de Sib. ind. p. 55 not. 117 (Gryph. 1879); erravit etiam Gelzer, S. Iul. Africanus p. 12 not.

3) Quod etiam nuperrime pronuntiavit Daub, Stud. p. 118, argumento debili utens.

4) Nescit enim epitomator vitas Ioannis Malalae, Ioannis Antiocheni, Theophili Protospatharii, Gai medici, Palladii iatrosophistae, qui saeculo septimo vixerunt.

5) Taedet enumerare, quae de his verbis sane simplicissimis hallucinati sint critici (cf. Müller IV l. c.), quod vel Meursius nec non ideo a multis laudatus, post ὀνομαστῶν inseruit verba Διογένην τὸν Λαέρτιον μιμησάμενος ad nostri Anonymi (sc. Pseudo-Hesychii) tractatum illa spectare ratus. Ab epitomatore autem verba proficisci, quae accurate, ut solet, Suidas descripserit, vidit Schneider, sanissimoque cum iudicio de iis disputavit Bergk, Lit. Gr. I p. 293 not. 50, cunctanter epitomatori dederunt Daub, de Suid. p. 405 not. 3, Egenolff, Jahresb. 1879 I p. 161 (cf. etiam Daub, Stud. p. 134).

cum Suidas Hesychium scriptores ecclesiasticos silentio praeteriisse exposuerit, hoc quam inepte dictum sit illustravi Mus. Rhen. l. c. p. 199 et ib. XXXVI p. 624 seq., ad quae nunc pauca addere liceat, postquam perlegi C. Neumanni, Iuliani fr. editionem (Lips. 1880), inprimis p. 30 not. Eos enim auctores christianos inde suspicatus sum ab Hesychio in Onomatologum receptos fuisse, qui litteris Graecis imbuti eademque de causa Iuliano imperatori maxime invisi fuerint, velut Apolinarius Laodicensis, Gregorius Naz., Basilius Caesareensis, Diodorus Tharsensis, de quo praeterea cf. Facundus, def. tr. capitul. 4, 2.

Epitomator autem, de cuius vita et nomine nil compertum habemus, et ipsius Hesychii Milesii vitam lexico biographico inseruit et aliorum auctorum, qui post Hesychii aetatem claruerunt, velut Simocattae (nisi ipsius Suidae est), fortasse etiam Georgii Pisidae, Paulique Aeginetae, Alexandri Tralliani (mortui a. 605) aequalis, Menandri Protectoris al.[1]) Nec dubium, quin haec Hesychii epitome insequentibus saeculis omnium fere in manibus fuerit, quemadmodum paulo ante ipse Onomatologus summo in honore fuerat, unde non modo omnes de poetis Graecis iisque, qui prosa oratione usi sunt, auctoribus suam acquirerent doctrinam, sed etiam scholiastae biographicas res, quibus exornare solebant scholia, compilarent. Periisse autem hanc epitomen duodecimo demum saeculo post Eudociae et ante Zonarae, qui dicitur, tempora docui Unters. p. 93 et praefat. Hesych. p. XI, quo factum est, ut mox tanquam iterata sit a tenebrione illo, qui Suidae Diogenisque Laertii vitarum frustula neglegenter contaminavit. Quod opusculum frustra genuini Hesychii nomen doctrinamque iactare primus sagaciter perspexit *Lehrsius*, Mus. Rhen. XVII p. 453 (Pindarschol. p. 159), cui omnes fere postea adstipulati sunt praeter *Schneiderum* (Callim. II p. 24 not.), qui contrariam tuetur opinionem; eundem errasse dixi praef. Hesych. p. XII. § 3

1) Agathiae quoque, Petri Magistri, Laurentii Lydi vitas potius epitomatoris esse vix probabiliter suspicatus est Daub, Stud. p. 152, Menandri vitam cum Rohdeo ad Suidam referens ib. p. 129. — Exilem et mancam Pauli Aeginetae Simocattaeque memoriam ipsi Suidae deberi ratus est Schneider, Callim. II p. 27.

§ 4 Sed praeter epitomatorem, qui saeculo septimo Hesychii opus in brevius coegit, alius lacunam, quam in Onomatologo hiare intellexit, supplevisse videtur, stilum Hesychianum haud ineleganter imitatus. Huc refero vitas Basilii Irenopolensis, fortasse Hippolyti episcopi (quae num neglegenter ex Sophron. c. 61 excerpta sit, dubium[1]), Ioannis Chrysostomi, cuius initium tantum etiam Sophron. c. 129 legitur, Ioannis Damasceni, ex qua fluxit Cosmae Hierosolymitani (cf. Mus. Rhen. XXXV p. 227 not.), Triphylii episcopi, Traiani Patricii (c. a. 670), Ignatii Diaconi, quem c. a. 850 vixisse constat; omitto enim vitas ex iis scriptoribus ecclesiasticis, potissimum Sophronio, descriptas, quibus Suidam usum esse nemo ignorat (velut Basilii Ancyrani al.). Qua de causa, praesertim cum Photii patriarchae (827—891) vita omissa sit, compilatorem istum brevi post Ignatium vixisse suspicatus sum Mus. Rhen. l. c. Atque illas vitas, cum prorsus desint in Violario, non ipsa in epitome extitisse certum est, sed tanquam ad calcem epitomes vel in additamento adscriptas fuisse puto, unde in suum lexicon desumpsit Suidas. Unum autem restat, quod in hac re monendum videtur. Praebet enim unus cod. Bruxellensis (E) post Basilii Irenopolitani vitam alteram Seleucensis (*Βασίλειος ἕτερος Σελευκείας, ἑταῖρος* [*τοῦ* add. cod.] *Χρυσοστόμου, πρὸς ὃν ἐν τοῖς περὶ ἱερωσύνης λόγοις* [*λόγους* cod.] *διαλέγεται*), primum a Dausquio in notis ad Basilium Seleuc. p. 317 et Schotto in Phot. bibl. cod. 168 p. 378 vulgatam nec a Pearsono neglectam, quam neque Hesychii neque epitomatoris vel asseclae alicuius nec denique ipsius Suidae indolem prae se ferre in manifesto est. Adscripsit igitur illam ex suo ingenio librarius aliquis in historia ecclesiastica bene versatus, quod nescio an saepius in nostris Suidae exemplaribus factum sit.

1) Potius ex altero fonte fluxit, qui diversus est ab Eusebii historia ecclesiastica. Nam titulus *εἰς τὰς ὁράσεις τοῦ Δανιὴλ ὑπόμνημα* neglegentius exscriptus videtur pro *εἰς τοὺς ὁρ. Δαν. καὶ τοῦ Ναβουχοδονόσαρ*. Cf. Lagarde, Hippolyt. Oper. p. 51 (Lips. 1858). — De aetate Hippolyti, qui ineunte saeculo tertio vixit, cf. Funck, Theol. Quartalsch. 63 (1881) p. 452 seq.

Caput alterum.

De iis libris, quibus Onomatologi reliquiae servatae sint.

Omnium primus Hesychii Onomatologum vel eius epitomen adhibuit scholiasta Platonicus, quod perspexit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 205, qui Pythagorae, Solonis, Creophyli, Protagorae, Prodici vitas in scholiis ad Rempublicam servatis (VI p. 359 seq. Herm.) ex Hesychii Onomatologo fluxisse demonstravit. Quibus ego Unters. p. 87 adieci vitas Thaletis, Lycurgi, Anacharsis fusiusque ibi de diversitate lectionis disputavi, ib. p. 90 ex scholiis in Alcibiadem vitas Zenonis et Anaxagorae (VI p. 279) fluxisse dubitanter suspicatus. Quam quaestionem nuperrime retractavit Mettauer, de Plat. schol. fontibus (Turici 1880), qui de nonnullis vitis, quas modo enumeravi, non dubitasse videtur, aliis in dubitationem vocatis.[1]) Atque Heracliti priorem glossam ib. p. 59 merito non de Hesychio pendere, sed de Plutarch. Plac. phil. II, 22, 2 et 24, 3, 4, alterius originem (*ἄλλως Ἡράκλειτος*) obscuram esse monuit. Dionis autem Hipparini vitam (VI p. 391) recte Hesychio substituens, rursus dubitavit de fonte Sapphonis (p. 266), Anacreontis (ib.), Anaxagorae, Zenonis (p. 279), qua in re non verum eum vidisse suspicor, cum Sapphonis Zenonisque vitae ex parte servatae certissima originis Hesychianae vestigia demonstrent. § 1

Idem vir doctissimus vitas Tisiae, Gorgiae, Prodici, Poli (p. 274 H.) Hermiae commentariis deberi putavit, Tyrtaei et Theognidis (p. 375 H.) Procli scholiis Platonicis (cf. p. 29), haud recte de Timaei (p. 364 H.) vita disputans, quam de Hesychio descendere luce clarius est:

---

1) Sic errans p. 55 not. 1 apud Suidam deesse Prodici vitam exposuit, Lycurgi vitam omnium clarissimam (VI p. 359 Herm.) ne tetigit quidem, de qua nunc cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXVI p. 540. Creophyli autem vitam p. 54 etiam in Photii lexico inesse putabat itaque ex Boëthi Stoici lexico Platonico compilatam. At aequo neglegentius Photii articulum locum vir doctissimus inspexit, quippe qui toto caelo ab scholio Platonico discrepet. Quapropter hanc quoque vitam Hesychio dare nequaquam dubitavi.

schol. Plat.	Suidas
Τίμαιος ἐκ Λοκρῶν τῶν Ἐπιζεφυρίων, τῆς ἐν Ἰταλίᾳ πόλεως, φιλόσοφος Πυθαγόρειος. ἔγραψε μαθηματικά τε καὶ περὶ φύσεως σύγγραμμα, τὸν Πυθαγορικὸν τρόπον.	Τίμαιος, Λοκρός, Πυθαγόρειος. μαθηματικά, περὶ φύσεως, περὶ τοῦ Πυθαγόρου βίου.

Quo in scholio commentatorem more ex solito uberiorem esse alteramque infra Hesychianae vitae adiungere apparet. Deinde rectissime Mettauer iudicavit de Aristophanis, Anyti, Meletique vitis (p. 227 H.), Chaerephontis, Agathonis (p. 255 H.), quam etiam in schol. Luciani cod. Barocc. 56 (Cramer Anecd. Oxon. IV p. 269) extare vidit, Aspasiae (p. 329 H.), quamquam nonnulla ex Agathonis Aspasiaeque vitis, velut initium, ab Hesychii ingenio et more non abhorrere persuasum habeo. Ceterum ne Pythoclidis quidem vitam (p. 279 H.), quamvis num ex Hesychio fluxerit dubium sit, silentio praetermittere libet.

Difficillima autem quaestio de Sibyllis (VI p. 269 seq.) mota est, postquam Mettauer p. 58 hoc quoque scholion et Anonymi in Crameri Anecd. Par. I p. 332 seq. et Anon. praef. Orac. Sib. (ed. Alex. p. 16) ex Hesychio fluxisse exposuit. Sibyllarum vero vitas, quae in Suidae lexico enarrantur (i. e. Thesprotidis et omnium, quae antecedunt), si ad Hesychium referimus, qua de re Maassium, de Sib. p. 55 seq. recte iudicasse video, indicem Platonicum, qui a Σιβ. Σαμβήθη incohat (quod nomen anonymum praefat. Orac. l. c. addidisse docuit Maass p. 38 seq. et 43) de Anonymo pendere apertum est.[1]) Altera autem extat quaestio, num copiosior Sibyllae Chaldaeae vita, quam illustraverunt praeter schol. Platonicum Anonymus in Cramer. Anecd. l. c. seq. et ipse Suidas, Hesychii esse credenda sit. Quod negavit Maass p. 56 propter chri-

1) Anonymo sua suppeditavit Lactantius, Inst. I, 6 seq., qui Varronis testimonio utitur. Primus perspexit Alexandre, post eum Maass l. c. p. 37 seq. Quae infirmare frustra studet Mettauer l. c. — Idem in eo quoque erravit, quod vitas decem Sibyllarum a praefatore Orac. Sib. l. c. (Maass p. 38) ex Hesychio descriptas iudicat, quamquam prorsus diversas eas esse constat. Ceterum cf. quae dixi Annal. phil. 1881 p. 106 seq.

stianum colorem, quem Hesychium dedecere opinatus est, fortiter affirmat Mettauer l. c. At quamvis argumentum Maassii vile esse apertum sit, quoniam auctore Wilamowitzio de Hesychio pagano somniat, tamen verum eum vidisse opinor, quamquam initium articuli i. e. verba *Σιβ. — Σαμβήθη* ex Hesychio fluxisse reprobari nequit (cf. quae dixi Annal. phil. 1880 p. 107 not.). Nunquam enim cum ad verbum sua Hesychium descripsisse compertum habeamus, in hac Chaldaeae vita id facturus fuisset, si Suidana vita vere ab eo profecta esse putanda est. Itaque Suidam hoc loco Hesychii, qui exstabat, de Chaldaea articulum arctiorem aspernatum aliunde auctiora deprompsisse censeo, id quod saepissime eum fecisse constat.

Atque extremo libelli capite (p. 113), quo Mettauer de tempore, quo scholia Platonica sint composita, disputavit, Hesychii sui Milesii prorsus oblitus esse videtur, cum paulo post a. 529 illa conglutinata esse docuerit, quamquam profecto post Hesychii Onomatologum h. e. exeunte saeculo sexto vel ineunte septimo ea composita esse colligere debebat.

Una autem quaestio restat, quam in suspenso reliquit Mettauer, utrum scholiastam Platonicum genuino Hesychii Onomatologo usum esse censeamus, an epitome Onomatologi. Atque cum Unters. p. 89 epitomen illum descripsisse suspicatus sim, nunc, quoniam de tempore quo scholiasta scripserit accuratius disputavit Mettauer, hoc minus valere malim, sed ipsum Onomatologum ab eo descriptum esse iudico. Quod si recte statui, etiam ea, quae in scholiis leguntur uberiora, desiderantur in lexicis, ex ampliore fonte fluxisse suspicari nobis licet.

Exscripsit Hesychii epitomen vel potius Onomatologum, § 2 ut videtur, etiam schol. Anthol. Pal. in Palat. Gr. 23 cuius vitam *Ἀγαθίας* descripsimus, Jacobs, Anth. VI p. LI et Dindorf, histor. min. II p. XIX et equidem in apparatu critico. Onomatologum dico, quoniam addidit *ἐπιγράμματα πρὸς Θεόδωρον Δεκουρίωνα*, quae verba absunt a Suida Eudociaque. Neque enim Suidae lexicon ab illo compilatum esse, cuius fere aequalis fuerit, neque prooemium Agathiae, recte vidit *Finsler*, Krit. Unters. zur Anth. p. 152 seq. (Zürich 1876).

Eodem ex Onomatologo fluxit etiam glossa *Μελέαγρος*[1]) (Jacobs VI p. LXV), qua in vita eum, qui Anthologiae codicem scripsit, adscripsisse glossam doctissimam et clarissimam de Constantini Cephalae epigrammatum distributione vidit Finsler: *ἀλλὰ Κωνσταντῖνος ὁ ἐπονομαζόμενος Κεφαλᾶς συνέχεεν αὐτος ἀφορίσας εἰς κεφάλαια διάφορα ἤγουν ἐρωτικὰ ἰδίως καὶ ἀνάθεμα* (l. *ἀναθηματικὰ*) *καὶ ἐπιτύμβια καὶ ἐπιδεικτικά, ὡς νῦν ὑποτέτακται ἐν τῷ παρόντι πτυκτίῳ.*

Tertio autem loco Hesychii doctrinam investigasse mihi visus sum, cum scholiasta p. 403 ad lemma *εἰς Πολέμωνα καὶ Κράτητα* addat *τοὺς φιλοσόφους. ὅτι ὁ Κράτης ἔγημεν Ἱππαρχίαν τὴν φιλόσοφον.* Ad quae monuit Iacobsius: 'quae nuptiae nihil faciunt ad hoc carmen, scriptum in duos philosophos, qui, cum in magna familiaritate vixissent, eodem conditi sunt tumulo'; Finsler p. 155: Das Gedicht gab also keinen Anlass zu diesem Scholion, letzteres ist also vom Lemmatisten aus dem Vorrath eignen Wissens (?) oder vielmehr, weil das angesichts der unter 1 angeführten Lemmata durchaus unwahrscheinlich ist, auf *Grund einer Ueberlieferung* hinzugefügt'. At temere scholiastam hoc ex Cratetis vita ab Hesychio descripta sumpsisse suspicor (cf. v. *Κράτης*), nisi forte illum a Laertio Diogene id mutuatum esse autumas.

Dubito denique addere verba de Euphorione dicta p. 406 *εἰς τὸν Εὐφορίωνος τάφον, τοῦ μύστου τῶν Ἑλληνικῶν* (*Ἑλλήνων ἱερῶν* coni. Paulssen) *μυθολογημάτων ἢ τελεσιουργημάτων*, de quibus cf. Meineke, Anal. 32 seq., Finsler l. c.

§ 3 Saeculo decimo exeunte Epitomen compilavit Suidas.[2])

---

1) Cui appicta est in codice haec correctoris nota: *ὅτι ὁ Μελέαγρος Γαδαρηνὸς ἦν, τὸ γένος Σύρος. ἐτελεύτησεν ἐν Κῷ τῇ νήσῳ* et p. 82 eiusdem: *Γαδαρηνὸς ἦν ὡς ἐν ταῖς ἔμπροσθεν αὐτὸς ἑαυτοῦ ἐμνημόνευσεν. ἤκμασεν ἐπὶ Σελεύκου τοῦ ἐσχάτου*, et ad VII, 418 *εἰς τὸν Μελέαγρον τὸν ἐπιγραμματοφόρον. οὗτος ὁ Μελέαγρος ἐν Κῷ τῇ νήσῳ καταγηράσας ἐτελεύτησεν.*

2) Suidae aliquo libro praestantissimo, fortasse eo exemplari, a quo Par. **A** descendit, usus est Pseudo-Hesychius, quem suum de viris illustribus tractatum saec. XII composuisse docui praef. Hes. p. X seq. Conspirat enim textus illius plerumque cum **A** vel **V**, quod luculenter patefactum est ex glossis *Διαγόρας* (*ἐπεκλήθη* — exit. **AV** om. rel.), *Δράκων* (*ὑπὸ τῶν Αἰγ.* solus **A**) *Πλάτων* (*ἔγκνος* solus **A** *ἔγγνος* rel.);

Sed praeterquam quod non optimum Onomatologi exemplar in manibus habuisse putandus est, tantopere Hesychii doctrinam parvi fecit, ut mox suis ineptiis nugisque eam inquinaret, inprimis cum christianae aliquid se fidei debere arbitraretur (cf. ante omnes v. Ἰώσηπος et Λουκιανός), mox temere ac parum diligenter ex iis libris, quos perlegerat, velut ex Laertio Diogene, Philostrato, Damascio, Eunapio, Athenaeo, ex nonnullis patribus ecclesiasticis, velut ex Socrate, Philostorgio, Sophronio, plura describeret vitisque Hesychianis adiungeret, ipsa vita Hesychiana prorsus fere reiecta (cf. Ἀρίσταρχος Τεγ., Ἱεροκλῆς, Σεβῆρος, Τελέσιλλα al.) vel parte eius omissa (cf. Καλλισθένης.)[1]) Nec minus id probasse mihi

cum V facit in gl. Ἐπιμενίδης (om. πόρρω χρόνον), Ἐρατοσθένης (*Hes.* ἐγγίζων, V ἐγγίσας, rel. ἐγγίσαντα), qua in vita solus genuinam lectionem Βῆτα servavit (βήματα Suid. libri), quorum utrumque servare conatur Daub, Stud. p. 84; gl. Γενέθλιος solus servavit μιᾷ. — De librorum manuscriptorum indole ac natura infra § 4 dicetur. — De tenuissimis excerptis, quae in Zonarae quod fertur lexico extant, dixi Unters. p. 92 seq.

1) Quod etiam de nonnullorum grammaticorum vitis crediderim, Apollonii et Herodiani. Utriusque enim vitas olim locupletiores fuisse manifesto probatur vita Apollonii, quae sub Theodosii grammatici nomine fertur a Sylburgio (Francof. 1590) edita et ex Par. 2603 ab Osanno ad Philem. p. 306 (cf. etiam Lentz., Herodian. I p. 6; Bekker, Anecd. p. 1141), sed a Westermanno omissa (cf. Wachsmuth, Symb. p. 144 not.), in cuius initio Hesychiani coloris vestigia comparent. Textum descripsi in appendice n. I. Quod autem de hac vita constat, de vita Menagiana Aristotelis valere negavi Unters. p. 93 seq., quod vel Platonis vita ab Hesychio descripta maxime probatur. Erraverunt enim Rose, Arist. Pseud. p. 18 seq. (et Susemihl, Arist. Polit. p. XLIII), Schneider, Callim. II p. 26, Heitz, verl. Schriften d. Aristot. p. 15, Nietzsche, Mus. Rhen. XXIV p. 216, Maass, Biogr. p. 81 et 119. Verum vidit Wachsmuth, Symb. p. 138. Codex Menagii ubi lateat, ignoratur, sed extat eadem vita in codice chartaceo Patmensi, quem descripsit Tischendorf, Wien. Jahrb. 110 Anzb. p. 17) et bis descripta est in cod. Ambrosiano R. 117 sup. saec. XV (cf. Rose l. c. p. 10 et 709; Aristotelis ed. Berol. V p. 1466). Nec magis valet de vita Aristotelis Marciana, quam ex Ven. 300 (leg. 257) edidit Robbe (Lugd. Bat. 1861). Utramque vitam, Menagianam et Marcianam in appendice n. IV—V recensui, Marcianam cum notis Ervini Rohdei. Fortasse etiam ex Onomatologo nonnulla fluxerunt, quae in cod. Vind. XLVII in Cat. Vind. VII p. 189 (cf. etiam Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 169) de Ptolemaeo Claudio tradita extant (app. n. II), quorum partem ediderunt Lentz, Herod. I p. 7 et Nobbe, Ptol. p. XX (totam enim Hesychianam esse nego), cum Oppiani vitam (app. n. III) in cod. Matrit. XX (Iriarte p. 82) Constantini Lascaris manu scriptam et ex vita editionibus praemissa (Westerm. p. 65) et ex Suidae articulo

visus sum, quod saepius Suidas grammaticam glossam confudit cum biographica, vel addens verba *ὄνομα κύριον* (cf. *Ἀππιανός*, *Ἀρκεσίλαος*, *Δικαιογένης*, *Κοκκηιανός*, *Μελέαγρος*, *Μέλισσος*, *Σιμπλίκιος*, *Σκάμων*, *Σώφιλος*, *Φιλέταιρος*, *Χαρίτων*), vel casum nominis genetivum (cf. *Δέξιππος*, *Ἴστρος*, *Λέων Βυζ.* (?), *Νύμφις*, *Χίλων*, *Ἀραρώς*[1]), fortasse *Γενέθλιος*, *Λέων*, *Παλλάδιος*, *Λαχάρης* [cf. Daub, Stud. p. 60], *Χαρίτων*) vel adiciens cuiusvis generis regulam (cf. *Ἀρίων*), vel quidpiam de nomine urbis (cf. *Ἱερών*. *Καρδιανός*) vel inanem aliquam voculam, quae deesse ei videretur, velut *ἔφασαν* v. *Ἰσοκράτης*, *ὄνομα* vel *τοὔνομα* v. *Ἰουλιανὸς παρ.* *Ἱπποκρ.* *Κῶς*, *Πολέμων*, fort. *Ἀθήναιος* (?), *Πίνδαρος*, *Πυθαγόρας*, *οὗτος* v. *Ἰάσων*, alia v. *Λυγκεύς*, *Μεσομήδης* (cf. ad v. *Φρύνιχος τρ.*, *Τυραννίων νε.*, *Φιλάγριος*), quamquam ab Hesychii more discrepant, vel exponens eius quem perlegerat libri materiam (v. *Ἰάμβλιχος* al.; cf. Mus. Rhen. XXXV p. 202, p. 204. seq.), vel corrigens lectionem traditam altero loco male intellecto, velut v. *Πορφύριος* addens *Ἀμελίου τοῦ* et *μαθητοῦ*, perperam relata vocula *οὗ* in v. *Πλωτῖνος* ad Amelium, quae potius spectat ad Plotinum (similem errorem admiserunt Luc. Holstenius de vit. Porphyr. c. VI et Kusterus). Bis iam erraverat in glossa v. *Ἀμέλιος*, quam ex Porphyrio misere conformavit. Quo saepius factum est, ut biographica glossa posthac prorsus evanuerit (cf. *Ἀκύλας*, *Ἀμειψίας*, *Ἀναξίλας*, *Ἄντυλλος*, *Ἀρκεσίλαος*, *Δωσιάδης*[2]) *Δωσίθεος*, *Εὐγαίων*, *Μελέαγρος*, *Ὀνήσιμος*, *Οὐλπιανὸς Γαζ.* *Σιμπλίκιος*[3]), *Σκάμων*, *Τουσκιανός*, *Χαρίτων* [Eud. v. *Δαμόξενος*]. Librorum etiam tabulam omnino desiderari vel mu-

conflatam esse censeam. Cuius partem aliquam verbo tenus Suidae adhaerere vidit etiam Ausfeld, de Oppian. p. 10 (Lips. 1876).

1) Legitur enim in optimis libris *Ἀραρὼς καὶ κλίνεται Ἀραρώ, ὥσπερ ἀμνώς, ἀμνώ, τυφώς, τυφώ*, quae verba delevit Kusterus.

2) Quam ambigua sit tota haec quaestio, me non fugit. Quamquam hic quoque negari nequit, eiusmodi glossas mutilas vitarum posse Hesychianarum frustula esse; itaque addere quam omittere malui. — Praeterea autem moneo, ex gl. *Ἰσίδωρος πρεσβύτερος* duos cognominatos ab Hesychio descriptos fuisse effici, quorum alterum neglexerit Suidas, id quod saepissime factum esse patet (cf. ad v. *Μνασέας*).

3) Ubi ex glossa biographica supersunt verba [ὁ] *φιλόσοφος*, quae plerique deleverunt.

tilatam extare docent gl. *Ἀλκιβιάδης*[1]), *Δημοσθένης Ἀβδ.*, *Μίμνερμος*, *Παῦλος Αἰγ.* al., saepius ipsum Suidam Hesychianae tabulae loco ex suo ingenio ab illa diversam intrusisse gl. *Ἀριστοφάνης κωμ.* et fortasse *Ἱπποκράτης*, saepiusque omisisse verbum doctrinae genus indicans, quale *ἱστορικός*, *ἰατρός* sim. gl. *Ὀρειβάσιος*, *Σέργιος*, *Τίμαιος*, *Χριστόδωρος Θηβ.*, *Ὠρίων Θηβ.* al. Nonnunquam autem ex diversis vitis, fortasse cognominatorum, talia confusa esse constat, velut *υἱός* v. *Ἀριστοφ.* v. *Φιλέταιρος* forte ex Philippi comici vita, *ἱστορικός* v. *Ὀνάσιμος* ex Onesimi furatum, *ῥήτωρ* v. *Τιμαγένης ἱστ.* ex rhetoris Timagenis, *ῥήτωρ* fortasse etiam v. *Κεφαλίων* aliunde raptum (cf. Daub, Stud. p. 7), *γραμματικός* v. *Ἰάσων* ex alterius Iasonis vita (om. Eud.), nisi potius cum Gutschmidio praefers *γραμματεύς*, *ποιητής* v. *Τρύφων* aut ex antiquioris aut ex iunioris Tryphiodori (in qua hodie desideratur) illapsum; alia a vero abesse dixi ad v. *Κρίτων*, *Λέων Βυζ.*, *Παμφίλη*. Quibusdam vero in vitis vel ipsa glossarum lemmata exciderunt, quibus scriptoris nomen olim legebatur: constat id quidem de Philippo Opuntio, fortasse de Timochare, Aristarcho Tegeata, Cornuto, quem cum rhetore, Livii aequali, inepte Suidas confudit, quemadmodum Severum sophistam cum imperatore. Saepissime autem genuina verborum series in Suidae vitis violata est, quam nisi certissimis argumentis adductus revocare non ausus sum (cf. v. *Ἀναξανδρίδης*, *Ἀππιανός*, *Ἐμπεδοκλῆς*, *Εὐκλείδης*, *Θέων Γυμνασίου*, *Στράττις*, *Τίμαιος ἱστ.*, *Φιλόξενος Κυθ.* al.). Et profecto, id quod maxime dolendum est, non omnes Hesychii vitas Suidas descripsit, sed prout videbatur, hanc vitam lexico suo inseruit, illam omisit, accuratissime, ut opinor, vitas quae sub litera A et X leguntur, describens, quod etiam de Eudocia notum est. Idem iam epitomatorem fecisse arbitror, quoniam nonnullas celeberrimas, inprimis poetarum (*Ἀρχίλοχος*, *Νόννος*, *Μουσαῖος*, *Κόιντος*) vel historicorum vel aliorum (velut *Οἰνοπίδης Χῖος*, *Καλλίστρατοι* al.) prorsus intercidisse manifestum est.

1) Nam, ut in vita Themistoclis, de orationibus Alcibiadis (cf. Cic. de or. II, 23) dictum fuerit. Cf. Ruhnken. hist. Or. p. XXXVIII.

Alias vero vitas auctorum, qui nunquam fuerunt, effinxit Suidas[1]) (interdum fortasse lector), plerumque fonte, quem exscripsit, male intellecto vel glossa marginali perperam adhibita, velut alteram vitam Alcmanis, Pyrrhonis, Sapphonis, Sopatri, Sophronis, Timonis, tertiam Corinnae, vitas Soteridae, Euschemi comici, Persae epici, Hesiodi fratris (de quo cf. Daub, Annal. phil. 1881 p. 246), Stratonis geographi (cf. Daub, Stud. p. 18) al.

Nonnullis autem corruptelis insignibus Suidae vitae adulteratae sunt, quas ab ipso profectas esse nego, velut vitam Chironis ex Hesiodi carmine *ὑποθῆκαι Χείρωνος* secus intellecto ortam, et Polyeucti comici ex Heniochi eiusdem nominis fabula conformatam. Utraque cum legatur etiam in Violario, ab Hesychio vel potius ab epitomatore insipienti additam suspicor, quem saepissime errasse constat. Ab interpolatore adscriptam esse mihi quidem non persuasit Daub, Stud. p. 141. Nec magis probabilis Suidae glossa a Kustero restituta *Πολύευκτος· τοῦτο δρᾶμά ἐστιν Ἡνιόχου τοῦ κωμικοῦ.* Ad eundem fortasse epitomatorem recurrit nomen Ephippi in gl. *Ἔφορος*, et in Suidae libris omnibus et in Violario servatum, quod ex glossa proxime antecedenti repetitum primus suspicatus est Vossius, de hist. Graec. p. 68 West., cui assentit Daub. de Suid. p. 409, nisi forte duos scriptores confusos esse putaveris, id quod equidem censeo, cum nonnulli Ephori libri sophistae potius alicuius videantur esse, quam historici. Quae denique perturbata extant in vitis

1) Hesychius vel epitomator fortasse finxit vitas Pindari et Procli Mallotae iunioris, quas offert etiam Eud. p. 598 et 611, antiquioris poëtae Menandri, quam eadem habet p. 498, aliorumque cognominatorum, velut alterius Euripidis, Melanippidae, Cratetis, Timoclis, fortasse Tryphiodori, Phrynichi, Sorani Ephesii (viderunt Osann, Quaest. Hom. III p. 12 not. 12, Dietzius Soran. p. 23, Kleist, de Philox. p. 17 not.) al., distinxit etiam inter Irenaeum et Pacatum, inter Pherecydem Lerium et Atheniensem, contaminavit Sextum Africanum et Empiricum, Asinium Pollionem et Trallianum, fortasse Strattidem et Ephippum Olynthios al., quamquam neque ex silentio Eudociae neque ex vitis eius, cum interpolationes passa sit, certi aliquid colligi potest. Nec minus si gl. *Σωτάδης Κρής* et iambographus et comicus s. fin. manifesto confusi videntur, hoc Hesychio opprobrio esse quam Suidae malim, id quod de plerisque eiusmodi erratis valere opinor.

Aristonymi[1]), Meleti, Simmiae Rhodii al. in Suid. libr. et Viol. ad ipsum epitomatorem rectius reiicienda putavi, quod facillime possis explicare, si mox scriptorum nomina vel nominum literas initiales in margine addita fuisse posteaque a librariis omissa, ita ut duae confunderentur vitae, mox nonnullas vitarum partes a librariis describentibus omissas marginique adscriptas genuinoque loco motas tecum consideres. Quae autem v. Σωσιφάνης in codd. et edd. vett. praeter tres Par. et Vat. Pears. vitiose tradita sunt, haec ex duabus glossis grammaticis et una biographica a librariis conglutinata esse patet: *Σωσικλῆς ὄνομα κύριον. Σωσιφάνης ὁμοίως κύριον. Σωσιφάνης Σωσικλέους* (*υἱὸς Σωσ.* V), *Συρ. κ. τ. λ.*

De Hesychio, Suidae fonte, primus recte vidit *Schneider*, de tab. Callim. p. 12 (Callim. II p. 3 seq.), postquam magno in errore versati sunt Bernhardy, Westermann, aliique multi. Rem prorsus patefecisse sibi visus est *Schmidt*, Did. p. 17 not. 1 et Annal. phil. 71 p. 775, postquam Cramer, Anecd. Par. I p. 11 ex codice Paris. 2677 saec. XVI, olim Telleriano, edidit hunc indicem fontium Suidae: 'Excerpta ubi de Eudemo rhetore, Helladio grammatico, Eugenio, Zosimo, Cecilio, Longino, Luperco grammatico, Iustino sophista, Pacato, Minucio, Pamphilo grammatico et Hesychio Milesio: nihil autem quod in Suida non legatur'. Cf. Wachsmuth, Symb. p. 138 not. 1, Boysen, de Harp. font. p. 33. At caveas, ne nimis confidenter hic ad Onomatologum alludi censeas, quia similem errorem in schol. Ar. Nub. 540, quo loco de Hesychio Alexandrino agitur, adumbravi Hesych. Miles. praef. p. XII. Schneiderum autem Schmidtiumque secuti sunt *Lehrs*, Mus. Rhen. XVII p. 453 (Pindarschol. p. 159), *Wachsmuth*, Symb. Bonn. p. 138 seq., *Müller*, fr. hist. IV p. 155, *D. Volkmann*, Symb. p. 728 not. 18, *Mendelssohn*, Act. Soc. Lips. II p. 181, *Boysen*, de Harpocr. font. p. 12 al. Indolem vero atque stilum, quae in vitis Hesychianis agnoscuntur, sagaciter illustraverunt *Nietzsche*, Mus. Rhen. XXIV p. 216 seq., *Volkmann*, Symb. p. 717 seq.[2]), *Rohde*, *Daub* al., quamquam nec hodierno tem-

1) De quo recte iudicavit Bergk, Hist. Lit. Graec. I p. 192, nec laude digna est sententia Pulchii p. 82 al.

2) Quaedam alii investigaverunt, velut Steffen, de canon. Al. p. 25

pore desunt, qui de Hesychio ineptiant, velut *Maass*[1]), de Sib. p. 54 et Biogr. p. 81, 119, 120 al. Nemo sane hodie est, quin primarium Suidae in vitis describendis fontem Hesychii Milesii Onomatologum vel eius epitomen fuisse persuasum habeat, nec quisquam eas vitas facillime se a reliquis lexici articulis seiungere posse negabit. Attamen difficilius illud esse hac editione probatur.

§ 4 I. Saeculo undecimo, centum fortasse annos post Suidae aetatem, c. a. 1070 eadem epitome usa est Eudocia imperatrix, Constantini Ducae uxor, cuius Violarium (*Ἰωνιά*) extat in Par. 3057 saec. XVI in. et in apographo Suppl. 42 saec. XVII (cf. Unters. p. 3). Atque haec quaestio, num Eudocia vera Hesychii epitome usa fuerit an potius praestantiore vel uberiore Suidae libro nescio an omnium difficillima sit, quamquam ad ipsum vitarum textum i. e. ad Eudociae auctoritatem confirmandam minus interesse patet, utrum ex pleniore Suidae exemplari nunc deperdito an ex fonte eius sua derivaverit. Primus enim qui de hac re disputavit *Bernhardy* in praef. Suid. cum plerisque aliis — dico Welcker., Kl. Schr. III p. 138, Kleineum, Stes. fragm. p. 3 — perfectius Suidae exemplar Eudociae praesto fuisse censuit. Quod praefracte negavit *M. Schmidt* Annal. phil. 1855 p. 474, Hesychii Onomatologum fontem eius fuisse ratus, cui deinceps assentiebantur *V. Rose*, de Ar. libr. ord. p. 50, *H. Weber*, Philol. Suppl. III p. 469 not. 35, *Fr. Nietzsche*, Mus. Rhen. XXII p. 189 seq. XXIV p. 212 et 228, *Th. Bergk*, Lit. Gr. I p. 293 not. 50, *Sommerbrodt*, de phlyacogr. Gr. p. 22 (Vrat. 1875), *H. Dunger*, Diktys etc. p. 11 et 52 (Dresd. 1878), equidem in libro 'Untersuchungen über Suid. und Eud.' (Leipzig 1879), al. Ex contraria autem parte post Bernhardyum disputavit *R. Nitzsche*, Quaest. Eud. p. 28 seq. (Altenb. 1868) post eumque innumeri fere critici: dico Wilamowitzium, Maassium[2]),

---

not. verborum *κρίνειν*, *ἐγκρίνειν*, *ἐκκρίνειν* usum in vitis *Λυκοῦργος*, *Νικόστρατος*, *Πυθέας*, *Ὑπερείδης* observatum.

1) Is enim, ut uno exemplo utar, Suidae glossam *Φρῦνις* ab Hesychio datam esse inepte dixit, quam ex schol. Aristoph. Nub. 976 fluxisse iam vidit Kusterus.

2) Non attinet ea refutare, quae Maass, Biogr. p. 114 seq.

Daubium[1]), Pulchium, Pappenheimium, Gropium, Patzigium, quorum plerique, quae ipse Unters. p. 35 seq. disputavi, ea refellere studuerunt, alii, velut Pulch, novis argumentis caute innisi, alii, id quod Wilamowitzio eiusque discipulo plerumque placet, causis omnino non additis, sed dictis temerariis, ineptis, arrogantiae plenis.

Nec hic negaverim nec unquam negavi, plures vitas in Violario extantes prorsus de Suidae lexico pendere, seu de codicibus manuscriptis seu de editionibus, quod quam difficile diiudicatu sit nemo nescit (attamen Aldinam in nonnullis vitis suppositam esse probabile est), cuius rei haece luculentissima mihi offeruntur exempla, si silentio omittam eas vitas, quae in utroque libro ex scholiis ad Aristophanem fluxerunt, seu ad verbum descriptae seu neglegentius breviatae. v. *Ἀρχέδικος* Eud. add. alteram Suidae vitam ex Polybio compilatam; v. *Ἰσαῖος* habet vitae partem ex Harpocratione a Suida depromptam, quapropter Hermippi locum ab Harpocratione laudatum uterque omisit nec minus Demetrii Magnetis librum ἐν τοῖς περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν [add. καὶ συγγραφέων], additis ex alio fonte vel ex uberiore Harpocrationis libro[2]) verbis οὗτος — προαγαγών; v. *Καικίλιος* s. fin. praebet Suidae nugas, quas interpolatori deberi iniuria obtinet Pulch p. 76, πῶς δὲ Ἰουδαῖος σοφὸς οὕτω τὰ Ἑλληνικὰ τοῦτο θαυμάζω, quae in libris varie leguntur, nisi potius lectorem aliquem iam epitomes margini ea appinxisse suspicaris; v. *Μενεκράτης* add. locum Athen. VII p. 289 ab Hesychio prorsus alienum; v. *Νόννος* add. ex Suidae articulo *Νόνναι* (cf. Pulch p. 76), quamquam etiam fieri potest, ut ex Anth. Palat. codice desumpta sint (cf. Jacobs VI p. LXV); v. *Πέτρος* add. Suidae verba deprompta ex Menandro p. 429 Nieb.; v. *Ποτάμων Μιτ.* adiunxit Suidae glossam καί ποτε — πολεμεῖν; v. *Σῆμος* praebet verba ἐν τούτῳ

exposuit, quem neque Suidae neque Eudociae articulum unquam vidisse opinor.

1) Is quamquam totam quaestionem non examinavit, tamen omnibus in locis, exempli gratia Stud. p. 129, tanquam nulli dubitationi obnoxia sit, de ea loquitur.

2) De indole codicum, quibus Harpocrationis lexicon nobis servatum est, cf. Boysen, de Harp. font. p. 6.

δὲ μνημονεύει — exit. a Suida (vel lectore) ex Athen. XIV p. 622 compilata; v. Σιλβανός habet glossam Suidae, quam ipse ex gl. ἐπιπόλαιος iteravit; v. Φωκυλίδης add. verba a Byzantino aliquo inepto adscripta παραινέσεις — κεκλεμμένοι.

Atque hanc rem Unters. p. 76 seq. et 153 seq. sic intellegendam volui, ut eiusmodi articuli partim a lectoribus ex Suidae lexico in margine transscripti paulatim in textum Violarii immigrarint, quod innumeris probatum esse exemplis satis apertum est, partim ab eo adiecti, qui Violarium typis exprimere voluit.[1]) Nostro enim Violarii codice cum nonnulla legantur in margine, quae serius adscripta esse patet, hoc et antea saepius factum esse veri simile est. Quod si eiusmodi additamenta removes, reliquas Violarii vitas ex epitome fluxisse opinor. Quod ut probem, de ipsius Violarii textus indole ac condicione pauca praemonenda videntur esse.

II. Inter Suidae libros manuscriptos nobis servatos praestantia eminet A = Par. 2625 et 2626[2]), quorum ille bombycinus est, fol. 305 constans, cuius maxima pars descripta est exeunte saeculo XII vel ineunte XIII, folium primum et fol. 260 — 305 posteriore tempore saec. XIV vel XV in charta scripta, sed ex optimo exemplari descripta, cuius folia obsoleta vel intractabilia facta esse suspicor. Primum contulit Kusterus, post eum multo accuratius Gaisfordus. Ipse Par. 2625, qui neglegentius excussus erat, Tubingam Parisiis missam diligentissime retractavi multasque lectiones, quae etiam Gaisfordum fugerant, in apparatu adieci, inprimis lit. *E* — *Θ*. Ad cod. A bonitatem proxime accedit

---

1) Ut unam rem breviter tangam, quis est criticorum, qui duos articulos Violarii p. 585 seq. de Pylade saltatore et Clearcho ex Athenaeo intrusos auctorumque seriem usquequaque servatam intempestive interrumpentes et a Violarii ratione prorsus recedere et ab impostore adscriptos esse neget? Cf. p. 117 de Archippo art. et Unters. p. 164.

2) Praestantiam perspexit Kusterus: „Par. **A**, qui trium cod. Ms. qui in bibliotheca Regia Parisiensi adservantur, optimus est et vetustissimus“. De codicis aetate recte iudicavit Hase, praef. in Lydum p. XXVIII. Ceterum in cod. Par. 2625 hasce enotavi lacunas: desunt lit. *E* gl. ἐληλεγμένον — [παρ]όντος κινδύνου (in gl. ἐμφατικῶς), unum ut videtur, folium, lit. *I* ὀνομάζουσι (in gl. Ἰγνάτιος) — πίπτοντες εἰς βασιλέα (in gl. Ἰκτῖνος), duo vel tria folia, in eadem lit. ἀπειροκαλίᾳ (in gl. Ἰούνιος) — exit. gl. spatio idoneo relicto.

Vaticanus Pearsoni, nunc Vat. 3. 4, chartaceus saec. XV (in catalogo, quem publicavit Haase in Serapeo tom. XII p. 136, n. 16)[1]), foliis 510 constans, cuius lectiones ex Pearsoni exemplari olim Cantabrigiae servato Kusterus exscripsit (notavi Vat. Pears.). Atque Gaisfordiana editio mihi suppeditavit lectiones codd. B = Par. 2622 saec. XIII vel XIV, C = Oxoniensis bibl. Coll. corp. Christi[2]), E = Bruxellensis, olim Antwerpiensis saec. XV, quibus addo editionum Mediolanensis a. 1499 (M) et Basileensis a. 1544.[3]) Aldinam autem a. 1514 editam, quae quamvis ex Mediolanensi descripta multas singulares lectiones praebet seu ex altero codice seu ex editoris ingenio additas, ipse cum meo Suidae exemplari diligentissime contuli; Genevensem Porti (a. 1619) ex Basileensi descriptam merito neglexi. Codicis praeter A praestantissimi V = Leid. Voss. F. 2 (olim Voss. 2°1) lectiones maxime insignes (potissimum eas, de quibus viri docti dissentirent) exscriptas a W. Calando, per literas mihi misit vir doctissimus atque benevolentissimus de Rieu, qui bibliothecae Leidensi praestat.[4]) Ab eodem accepi hanc codicis descriptionem: Voss. 2, bombycinus, saec. XII (ex Cobeti sententia), fol. 409, tribus eiusdem saeculi manibus conscriptus, quarum una fol. 1—144, altero fol. 144—168, tertia fol. 168—171, prima 171—409. Ceterum moneo, Suidam ipsum in lexico suo uncialibus litteris usum fuisse, quod confirmatur multis eius generis mendis, velut v. *Τιμαγένης* — *Δαβάνῳ* p. *Ἀλβάνῳ*,

1) Haec A. Mau rogatus amice mecum per literas communicavit, enumerans praeterea alios libros, quibus Suidae lexicon servatur: Vat. 881, chartaceum saec. XV, Vat. 1296, bombycinum saec. XIV, Urbin. 161, chartaceum saec. XV. De diversitate lectionis ab Ang. Mai, Nov. patr. coll. II p. 348 allata cf. infra v. *Ἰάμβλιχος*.

2) Collatus est in quattuor prioribus literis et in sequentibus, ubi V, quocum plerumque conspirat, mutilus est.

3) Cf. Kusteri praef.: „Haec editio haud fere ab Aldina discrepat, nisi ubi sphalmata typographica habet vel ab editoribus interpolata". Aldinam autem plerumque de Mediolanensi pendere viderat Bernhardy, praef. p. XCI seq.

4) Inde certior factus sum, in apparatu Bernhardyi et Westermanni, quibus locis littera V signata sit Gaisfordi collatio, littera *V Gronovii ad marginem Kusterianae adscripta, Gronovii scripturas plerumque neglegentissime lectas esse. Ut unum afferam exemplum, v. *Ῥίνθων* habet V *κωμικά, τραγικὰ λϛ'* non (ut *V) *κωμικὰ λϛ' τραγικά*, nisi forte *υ'* (i. e. *η'*) suprascriptum *ϛ'* est.

Σώφιλος — *Δημία* p. *Δηλία*, *Μουσώνιος* — *Βουασινίου* p. *Βουλσινίου*, *Ὅμηρος* — *Ἰαμονίδης* p. *Ἰδμονίδης* et *Μνησιγένους* p. *Μελησιγένους*[1]), *Εὐσέβιος Οὐαπιανῷ* p. *Οὐλπιανῷ*, *Σωσίβιος παλαιῶν* fort. pro *παιδιῶν* al. (cf. etiam Unters. p. 71 seq.).

Sin codicum Suidanorum et vett. edd. lectiones percurrimus, nonnulla omnino rectius legi in ABEM videmus (in M tum corr. Chalcondylas), cum alia menda communia sint BEM vulg. Ald. Eud., permultis autem locis ABVE genuinam exhibeant lectionem, reliqui vitiosam, velut illi plerumque *τῶν δήμων* (sic A v. *Ἀντιφῶν*; corrig. Bernhard. app.) rel. *τὸν δῆμον*; saepius etiam E solus recte legit, cuius librarium textum correxisse censeo.[2]) In permultis autem locis AV (quibuscum fere consentit Vaticanus a Pearsono excussus) solos rectam lectionem habere perspexit Kusterus[3]), unde plurima remedia textui Suidae corruptelis inquinato afferret. Attamen multum abest, ut utrumque librum tanquam unum atque absolutum fundamentum textus Suidani esse arbitremur[4]), cum aequo sae-

---

1) *Μελησαγόρας* pro *Μνησαγόρας* occurrit Apollod. III, 10, 3; cf. Heyne, obss. ad Ap. p. 358, Voss. hist. Gr. p. 22 West.

2) Velut, ut oratio plenior fiat, solus pluriens addens *δὲ*: cf. *Καρκῖνος* al., vel titulum corrigens v. *Θέων Ἀλ.* (cf. Daub, Stud. p. 54).

3) Cf. v. *Κλήμης*, ubi **AV** *αὐτοκράτορας*, **BEM** Ald. Eud. *αὐτοκρατορίας* al.

4) Editores, qui presse vestigia codd. **AV** secuti sunt, saepissime Hesychii textum ridicule vexaverunt, velut *δὲ* post *ἔγραψε* mox cum **AV** inserentes, mox cum iisdem removentes, qua in re moneo voculam *ἔγραψε* vel *γέγραφε* vel *ποιήσας* nonnullis locis, ubi locutionem violet, lectori deberi (cf. *Ἀντιφῶν*, *Ἀριστόδημος*, *Ἀρριανός*, *Αὔγουστος Καῖσαρ*, *Ζηνόδοτος Ἀλ.*, *Στράττις Ὀλ.* [ubi ad glossam Stratonici physici pertinet], fortasse v. *Εὐστέφιος*, *Ἰσίδωρος*), — verborum seriem inepte tenentes, velut v. *Λιβάνιος σοφιστὴς Ἀντιοχεὺς* pro *Ἀντ. σοφ.* al., v. *Ἰόβας* cum **A** reponentes *πολλὰ πάνυ* (cf. v. *Φάλαρις*), v. *Προαιρέσιος* cum **AVE** expungentes *παρά*, quod maxime necessarium est. Nec minus errantes v. *Λιβάνιος* cum **AVE** praeferebant vitiosam *τῶν ἐπὶ χρόνων*, aliaque expungebant, quia absunt **A** vel **V**, quae saepius in textum revocavi, exempli gratia extrema verba gl. *Πολύβιος*, tum verba *ἔγραψε* vel *γράψας* nec minus *εἷς* ante *τῶν δέκα ῥητόρων* et *τῶν ζ' σοφῶν* mox ponebant mox omittebant, quamquam neque in **AV** neque in rel. certam eius rei rationem conspicuam esse constat, deinde *τὰ* ante *μέχρι* vel *ἕως* et post *ἔγραψε* mox cum libris omittebant mox addebant, quamquam omnibus fortasse locis revocandum est (cf. *Κοδράτος* et ad v. *Σώπατρος Ἀπ.*). Ut minutiora denique perstringam, v. *Ξέ-*

pius mutilatam nobis praebeant lectionem, reliqui genuinam, ita ut unum vitiorum genus codices AV occupasse, alterum reliquos libros manifestum sit, quo demonstrato archetypos utriusque familiae diversis mendis contaminatos fuisse patet. Nonnunquam etiam Aldina et Eudocia (de reliquis tunc tacet Gaisford) rectam lectionem habent, reliqui mendosam, velut v. *Ἱπποκράται δύο* soli legunt *τοῦ αὐτοῦ γένους* rel. *αὐτοῦ γένους*. Quae fortasse librarii codicis Aldini et Eudociae correxerunt, quamquam certis argumentis demonstrari nequit.

Atque ex innumeris fere codicis A mendis haec enumerare liceat: *Ἀγάπιος* — *μαρίνων* p. *μαρίνῳ*, *φιλομαθεῖα* p. *φιλομαθίᾳ*, *Ἀδριανός καὶ ἐν* p. *ἐν*, *Αἰλιανός* — *χρηματίσας* p. *ὁ χρημ.*, *Αἰσχίνης* — *Φακέας* p. *Φωκέας* et *Δημοσθένης* p. *Δημοσθένην*, *Αἰσχίνης Χαρ.* — *Ἐριξίας* p. *Ἐρυξίας*, *Αἴσωπος* — *Σαρδανός* p. *Σαρδιανός* et *Λοιδοῦ* p. *Λυδοῦ*, *Ἀλεξ. Αἰγαῖος* — *Καίλινον* p. *Καίλιον*, *Ἀνακρέων* — *ἐλεγείαν* p. *ἐλεγεῖα*, *Ἀνακρεόντια* p. *Ἀνακρεόντεια*, *Ἀντίπατρος* — *πράξας* p. *πράξεις*, *Ἡρακλέους* p. *Ἡρακλέα*, *Ἀντισθένης* — *Ῥόδων* p. *Ῥόδωνι*, *Ἀπολλόδωρος μαθητὴς* p. *μαθητῶν*, *Ἀπολλώνιος* — *συντάξεων* p. *συντάξεως*, *Ἀριγνώτη* — *Σαμὶε* om. AE, *Ἀριστόξενος* — *τῆς Ἀρ.* p. *τοῖς Ἀρ.*, *Ἀριστοτέλης* — *ἔπειρε* p. *ἔσπειρε*, *Ἀρίων* — *ἔμμετρον* p. *ἔμμετρα*, *Ἀρχέλαος* — *Εὐριπίδης* p. *Εὐριπίδην*, *Βαβρίας* — *χαριάμβων* p. *χωλιάμβων*, *Δημάδης*, *ἀντέρησεν* p. *ἀντήρισεν*, *Διον. Ἀλεξανδρείας* — *οὗτος* p. *οὗ*, *Δράκων Στρ.* — *Σαμφοῦς* p. *Σαπφοῦς*, *Ἡρόδοτος* — *Ἀθηναίων* p. *ὑπὸ Ἀθ.*, *Μάρκος* — *προσιόντα* p. *προιόντα*, *ὁρωμένων* p. *Ῥωμαίων*, *Μένανδρος Λαοδ.* — *σοφιστοῦ* p. *σοφιστής*, *Μινουκιανός* — *ἐπὶ Γαλινοῦ* p. *ἐπὶ Γαλιηνοῦ*, *Ξενοκράτης* — *διάκονος* p. *διάδοχος*, *Οὐηστῖνος* et *Οὐλπιανός* et al. prorsus omisit, *Παλλάδιος* om. *γέγονε* — exit. initio glossae in margine addito, *Παλαίφατος Ἀβυδ.* om., *Παλαμήδης Ναυπ.* om.

ναρχος Gaisford cum **AVEM** expunxit voculam *ὡς*, quamvis insanam inde orationem effici pateat, v. *Πλάτων κωμ.* ex **A** add. *ταῦτα*, quod procul abhorreat a more Hesychiano. Nonnunquam autem etiam meliores libri correcturas passi sunt, velut v. *Ἡσύχιος*, ubi **ABVE** praebent *ἐν Κωνσταντ.*, vulg. *εἰς Κωνστ.*, quem tamen dicendi usum Hesychianum esse moneo (cf. *Δράκων*, *Σιμωνίδης Ἀμ.* al.)

ἦν δὲ οὗτος et ἔσχε δὲ — ποιητικὴν καί, *Παρθένιος* solus add. verba inepta οὗτος ἔγραψε — exit., *Περικλῆς* om., *Πιττακός* om. εἷς — ὀλυμπιάδι, *Πλάτων* κωμ. add. ταῦτα, quod ineptum est, *Φαίδων* om. ἀκουστής — exit., *Φιλίσκος* βιβ. δ' p. βιβ. β', *Τιμαγένης* — Κιλίου p. Καικιλίου, *Φόρμος* — ἢ Περσεύς p. Περσεύς. Praeterea semper fere praebet Τραϊνός p. Τραϊανός, Εὐριπίδης p. Εὐρ., Βίβλιος p. Βύβλιος, ἐκάλεσσεν p. ἐκάλεσεν al.[1])

Rarius ut videtur in cod. V apparent lectiones vitiosae, velut *Αἴνικος* — μετάβαλοι p. μετάβολοι, *Ἡρόδοτος* Ἀρταμασίας p. Ἀρτεμισίας, *Φιλάγριος* — Ναυμάχου p. Ναυμαχίου, *Φιλέταιρος* — λαμπαδίφοροι p. λαμπαδήφοροι, *Φίλιππος* — θυσιακά p. Θασιακά.

At AV saepius vitiosam communem praebent lectionem: *Αἰσχίνης* — Κερσοβλέπτας (AV) p. Κερσοβλέπτην, *Γεώργιος* — μέγαν Ἀθανάσιον (AV) p. μάρτυρα Ἀναστάσιον, *Δαμάσκιος* Ἐλαμίου (AV) p. Εὐλαλίου, *Δαμάστης* Σιγιεύς (AV) p. Σιγειεύς, *Δημήτριος* Φαν. Νέωνος (AV) p. Κλέωνος, *Διαγόρας* Μιλήσιος (AV) p. Μήλιος, *Εὔφρος* (AV) p. Εὔφρων, *Λαμπρίας* ὃν (AV) p. ὧν, *Πίγνης* (AV) p. Πίγρης, *Πίνδαρος* Θηβῶν (AV) p. Θηβαῖος, *Ποσειδώνιος* Ἀπ. ὃς om. AV, *Σώπατρος* Ἀπ. τὰ add. AV, *Φόρμος* φοινικοῦς (AV) p. φοινικῶν, *Φύλαρχος* Κλεωνύμου (AV) p. Κλεομένους, *Χάραξ* μετ' Αὔγουστον (AV) p. κατ' Αὔγουστον.

Saepius cum A vel V in eiusmodi lectionibus etiam alii melioris notae libri conspirant nonnunquam etiam omnes, velut *Ἀγαθίας* ὃν αὐτὸς (ABE) p. ὧν αὐτὸς, *Αἰλιανός* Κλαυδίῳ (ABVEM) p. Κλαύδιος, *Αἴσωπος* Σαμ. ἐξ αὐτοῦ (BVE) p. ἐξ αὐτῆς, *Ἀπολλώνιος* Ἀλ. καὶ ante περὶ add. (ABEM), *Ἀρίσταρχος* Τεγ. εἰς τὸν νοῦν (ABEM) p. εἰς τὸ νῦν, *Δημήτριος* Ἰξίωνα (ABE) p. Ἰξίονα, *Ἡσίοδος* Διὸς (ABVE) p. Δίον, *Θέσπις* δεύτερον (ABE) p. δεύτερος, *Θουκυδίδης* Ὀλώρου (AVE) p. Ὀλόρου, *Μουσώνιος* Βουασίνιος (ABV EM) p. Βουλσίνιος, *Μάρκελλος* Ἀδριανόν (ABV) p. Ἀδριανός, *Ὄλυμπος* Οἰάγνιδος (ABVE) p. Ὑάγνιδος, *Ὀρφεύς*

1) Etiam glossas marginales in A irrepsisse vel ipsum librarium quaedam ex suo addidisse probant ante omnes v. *Λουκιανός*, *Νικόλαος Δαμασκηνός*, *Παλαμήδης*.

Κικωναῖος (AV vulg.) p. *Κικοναῖος* (Ald. M Eud.), *Πλούταρχος Μαριανός* (ABV) p. *Μαρῖνος*, *Πρωταγόρας Νεανδρίου* (ABE) p. *Μαιανδρίου*, *Προαιρέσιος τοῦ αὐτοκρ.* (AVE) p. *παρὰ τ. αὐτοκρ.*, *Τυραννίων ἢ Μεσσ. φιλ.* (AVE) p. *Μεσσ. φιλ.*

Quod si ex eiusmodi exemplis, quae facillime augeri possunt, recentiores Suidae codices a praestantioribus non descendere efficitur, quae res vel inde comprobatur, quod pars vitarum abest ab A, aliae desunt in V, quae tamen extant in deterioribus libris, duae nobis sunt codicum familiae statuendae, quarum una continentur AV (ex quo descriptus videtur C) Vaticanus Pearsoni, altera BE al., unde manaverunt edd. vett. ante Kusterum, quamquam BE pluribus locis integriorem lectionem praestant, quam edd. vett.

III. Atque de Eudociae textu, quem nunc investigamus, nuper fusius disputavit Pulch, de Viol. p. 73 seq.[1]), qui de Aldi editione eum pendere ex triginta vel quadraginta locis conclusit (multo autem saepius Violarium cum Aldina concinere ex apparatu meo discas), nonnunquam etiam de Basileensi, quam meliores lectiones librario suppeditasse suspicatus est. Quod quam vanum commentum sit, nunc demonstrare conabor.[2]) Praemitto, quod Eudociam vel Violarii auctorem

---

1) Pulch doctissime de codice Violarii disputasse sibi visus est, cum de rasuris et additamentis, quae in margine exstant, prolixe loqueretur, quod maxime arrisit Wilamowitzio. At, quaeso, quid momenti sunt rasurae codicis saec. XVI, si calamus librarii casu aberraverit, quid marginis additamenta, quorum maximam partem adscripsit idem librarius, sin aut incuria aliquid omiserit aut si charta paginae deficiente finem articuli in margine adscripserit. Nugas sane esse arbitror. Nec saniore iudicio disputavit Gropius, Annal. phil. 1881 p. 385 seq.

2) Occasione data examinemus, quam accurate Pulch p. 74 seq., qui saepius meos errores vexavit, lectiones suas exscripserit, ut Eudociae textum de Aldina pendere efficeret. Viol. p. 248 (Vill.) *Ἰοφῶν* „*Ἴλιος*, *Περσίς* edd. vett. Eud.". At A idem praebet. p. 268 *Κτησίας* „*Ἀμείνονα* vel *Ἀμείνονι* libri, *μνήμονα* Bas.". Cur ex Aldina Eudocia lectionem acceperit, non intellegitur, cum vulgata sit. Idem vitium occurrit v. *Ἀναξίμανδρος*, quod Bas. editor solus correxit. Vix probabilius disputavit etiam de vitis Androclidis et Agathiae, ubi Eud. vulgatam tenet. p. 270 *Κλεοφῶν* „*Ἡριγίνη* Ald. et Eud. codex." At Aldina habet *Ἠριγίνη*. p. 71 *Ἀριγνώτη* „*φέρεται* cum solis vett. edd. Eud.". At vett. edd. habent *γράφεται*. p. 426 *Φιλέταιρος* „*Αὐτοφιλέταιρος* et *Νικοστράτη* servat cum vulg. Eud.". At *Νικοστράτη* omnes libri praeter V. p. 428 *Φιλωνίδης* „*γραφεύς* AV, *γναφεύς* cum vulg. Eud.". At A

vitas suas non ex Suidae lexico, verum ex fonte eius deprompisse tribus potissimum et certissimis argumentis confirmatur. Primum enim nullam enarravit vitam aetatis Posthesychianae, de qua nunc ambigitur, velut *Pauli Aeginetae, Iohannis Damasceni, Theophylacti Simocattae, Georgii Pisidae, Triphyllii episcopi, Traiani Patricii* (*ἔγραψε χρονικὸν σύντομον, πάνυ θαυμάσιον*), *Ignatii* (*ἔγραψε βίους Ταρασίου καὶ Νικηφόρου* etc.) al., quarum partem a continuatore saeculi noni compositam esse supra dixi. Deinde autem nullius auctoris ecclesiastici vitam descripsit, quales Suidas praebet ex Eusebio, Philostorgio, Sophronio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto descriptas (cf. quae dixi Mus. Rhen. XXXV p. 227)[1]), quamvis fuerit pia ac christiana, quorum Hesychium mentionem omnino non iniecisse inter omnes satis constat, neque omnino alios tractavit scriptores atque eos, quos ne Hesychium quidem omisisse manifestum est, velut *Synesium, Philonem Iudaeum* (de quo infra agetur). Tertium autem praeter nonnullas vitas ex schol. Aristoph. oriundas posteriusque ex Suidae lexico interpolatas, nullam praebet, quam aliunde Suidae fluxisse compertum habemus, dico ex scriptorum Romanorum numero *Fabii Pictoris* ex Polybio haustam, *Iuvenalis* ex Malala p. 263 Bonn., *Ciceronis* ex glossa Suidana *Φολονία*, *Ennii* ex Aeliano al., cum eadem describat *Augusti Caesaris, Euodi Rhodii, Tiberii Caesaris, Claudiani*, quas Hesychii esse docui Mus. Rhen. XXXVI p. 316 seq., nullam denique ex iis, quas quin ad verbum ex Damascio vel Harpocratione (cf. gl. *Εὔηνος*)[2]) ipse Suidas descripserit, nemo iam dubitat.

---

habet *γναφεύς*". p. 61 *Ἀπολλόδωρος* „*Αἰσχρίων* recte optimi libri, *Αἰσχίων* **BE** edd. vett. et Eud.". At *Αἰσχρίων* unus Par. **A** et Vat. Pearson., *Αἰσχίων* vulg. In Apollodori tragici vita „*ἀκανθόπλιξ* Eud. cum vett. edd.". At Aldina mea (et fort. edd. vett.) *ἀκανθοπλίξ*. p. 385 *Σώφιλος* „*χοιρίδιον* Ald. de coniectura et Bas. et Eud.". At Aldina cum **ABVEM** praebet *χειρίδιον*. Illis exemplis, si quaeris, facile, opinor, plura addere potes.

1) Cf. vitas Alexandri Hieropolitae, Basilii Ancyrani et Irenopolensis, Dionysii Areopagitae, Hecebolii, Eusebii Pamphili, Hippolyti, Ioannis Chrysostomi, Iustini, Iusti, Iosephi (art. I), Leontii, Methodii, Petri Mongi, Sisinnii al.

2) De poetis qui nomen *Εὔηνος* habebant, cf. Bernhardy, Eratosthen. p. 243, Hiller, Annal. phil. 1881 p. 477.

Quodque argumentum gravissimum nobis videtur esse, omisit vitas *Heleni, Xenocratis Aphrodisiensis* (quod nomen desideratur quidem in Suidanis libris, sed extat eius vita, quamquam hanc quidem Hesychii non esse probari nequit), alteram *Polletis, Posidonii, Telegoni,* quas ex uberioribus lexici glossis ipse Suidas descripsit et conformavit. Quod si Suidae exemplari aliquo Eudocia usa est, non Hesychii epitome, sane epitomen non ignorasse atque mira iudicii sagacitate omnes quaestiones ab illo abhorrentes eam evitasse sequitur. Quam rem vel ideo absurdam esse opinor, quod cur Eudocia ipsam epitomen quam Suidae molem compilare non maluerit, intellectu est admodum difficile. Sin autem falsarius Pulchii Rhenanus Violarium composuit, eum quoque saeculo sexto decimo Hesychii epitomen bene novisse et fraudem suam callidissime instituisse patet. Quod nec minus ineptum esse nemo negabit.

His adnectam aliud meae sententiae documentum. Eudocia praebet *Cornuti* vitam non qualem descripsit Suidas contaminatam cum uberiore rhetoris cognominati vita ex Aeliano descripta, sed extrema tantum eius articuli verba, quae profecto de philosopho dicta ipsius Hesychii sunt.[1]) Quonam autem modo haec ipsa verba prudenter eam excerpsisse statuemus, si omnem ex Aldi editione doctrinam suam hausisse putanda est?[2]) De *Gesii* denique et *Domnini* vitis Hesychianis, quae desunt in Suidae lexico, disputavi Unters. p. 60. De *Menandri* vita, quam tractavi Unters. p. 61 et Mus. Rhen. XXXIII p. 229, rem parum constare supra dixi.

Nec minus si singulas respicimus Eudociae textus scripturas, prorsus aliter quaestionem solvendam esse iudico, quam Pulchio visum est. Primum enim haec exempla iuvat enumerare, quibus cum melioribus Suidae libris Violarium conspiret:

1) Idem fortasse contigisset, si Aristarchi Tegeatae vitam Violarii auctor memoriae prodidisset. Nam in ea quoque Suidas Hesychii demum vitam profert, postquam peregit narratiunculam de Aristarcho aliunde depromptam.

2) Addo, quod in Aldina haec verba, cum media in lineola continui textus legantur, nullo modo dilucide signata sunt, unde in Suidae articulo duas glossas olim distinctas, quarum utraque ab nomine auctoris incohavit, Aeliani et Hesychii, confusas esse patet.

Δαφίδας — *Τελμισσεὺς* A Eud. *Τελμισεὺς* Ald. vulg., *Διοσκορίδης* AB Eud. *Διοσκουρίδης* Ald. vulg., *Εὐγένιος καὶ* ante *Εὐρ.* om. AM Eud., *Εὔπολις* — *οὗτος* BEV Eud. *καὶ οὗτος* Ald. vulg., *Εὐστόχιος* — *τὰ κατὰ Κωνστ.* ABV Eud. *κατὰ Κωνστ.* Ald. vulg., *Ἔφορος καὶ ἄλλα* ABVE Eud. *καὶ ἄλλα τινά* Ald. vulg., *Ζηνόδοτος Ἀλ. ἀποῤῥημάτων* A Eud., *Ζήνων* — *Διοσκορίδου* AVE Eud. *Διοσκουρίδου* Ald. vulg., *Θεοδέκτης* — *ἱστ. ὑπομν.* A Eud. *ἱστ. καὶ ὑπ.* Ald. vulg., *Θεοδέκτης* alter, *καὶ* om. AV Eud., *Θεόκριτος* — *καὶ* ante *ἰάμβους* om. A Eud., habet Ald. vulg., *Θησεύς* — *Ἰσθμικοῦ* (*ἰσμικοῦ* A) E Eud. *Ἰσθμιακοῦ* Ald. vulg., *Κεκίλιος* — *Κάλαντις* V Eud. (Eud. lectionem in meo apparatu neglexi), *Κόλουθος Καλυδωνιακά* V Eud. *Καλυδωνικά* Ald. rel., *Κρίτων* quartam vitam om. AV Eud., *Λιβάνιος καὶ ἐπιστ.* ABV Eud. *καὶ* om. Ald. vulg., *Λύκος Δημ. τοῦ Φαλ.* AV Eud. *Δημ. Φαλ.* Ald. vulg., *Νικόλαος Διοσκορίδου* A Eud. *Διοσκουρίδου* rel., *Νικ. ῥήτωρ* — *ἤκμαζεν* A Eud. *ἤκμαζε δὲ* rel., *Παλαμήδης ὑπολαμβάνω* seq. om A Eud., *Παῦλος Αἰγ. ὑπόμνημα* om. AV Eud., habet Ald. vulg., *Περσαῖος ἱστορίαν* (*ἔγραψε* ex more add. Eud.) A Eud. *ἱστορία* Ald. vulg., *Πλάτων κωμ.* — *Ζεὺς καλούμενος* V Eud. *Ζ. κακούμενος* Ald. rel., *Πλάτων* — *τερατολογίαι* ABVEM Eud. *παρατολογίαι* Ald., *Πολύαινος* — *καὶ ἄλλα* om. BVE Eud., habet Ald. vulg., *Κῦρος Πανοπολίτης* AV Eud. *Πανοπλίτης* vulg., *Πολύβιος* — extrema verba om. V Eud., habet Ald., *Ποτάμων* — *ἐστιν αὐτοῦ* om. AVE .Eud. habet Ald. vulg., *Προαιρέσιος οὗτος* seq. om. V Eud. habent rel., *Προκόπιος αὐτοῦ* BE Eud. *αὐτοῦ* Ald., *Σαπφώ* — alteram vitam om. A Eud., *Στράττις ἔγραψε* add. A Eud., *Σώπατρος παρῳδός* vitam om. A Eud., *Φίλιππος Κῳακά* AV Eud. *Κῳανά* rel., *Φίλιστος Σικελικὰ* VE Eud. *Σικελιακὰ* Ald., *Φιλωνίδης* — *γραφεύς* V Eud. *γναφεύς* Ald. rel. (quod in Violario extare contendit Pulch).

Trecenta autem sane colligere possis exempla, quibus Eudocia omnino a scripturis Aldinae ita discrepat, ut Violarii auctorem in illis vitis enarrandis haudquaquam ex Aldina hausisse appareat. *Ἄβαρις Εὔρου* Eud. — *Ἕβρου* Ald., *Ἀκουσίλαος Κεκάδος* — *Κερκάδος*, *Ἀλκμάν ὡς Λακεδαι-*

μόνιος — *καθάπερ Λακεδαιμόνιοι* A Ald., *Ἀμμώνιος Ἀμ. φιλόσοφος, ὁ καλούμενος Ἀλέξανδρος* — *Ἀμμωνίου Ἀλεξάνδρου γνώριμος*, quibus de verbis infeliciter disputavit Pulch p. 74, *Ἀνδροκλείδης Αηδοῦ* — *Λυδοῦ* (quod in Violario agnoscit Pulch), *Ἀπολλόδωρος τραγ. τεκτοκτόνος* — *τεκνοκτόνος*, *Ἄρατος φαρμάκων ἰατρῷ ἐπιτηδείαν* — *φαρμ. θηριακῶν ἐπιτηδείαν* — et *ἐπικ. Κλεομβρότου* — *ἐπικ. τὸν Κλεομβ.*, *Ἀριστογένης περὶ δυν. δύο, περὶ δακ. δ', περὶ σπερμ. δύο* — *περὶ δυν. ἕν, περὶ δακ. ἕν, περὶ σπερμ. ἕν*, *Ἀριστοκλῆς συνέταξε* (*δὲ* om. etiam ABVE) — *συνέταξε δὲ* Ald., *Ἀρχιγένης πγ'* — *ξγ'*, *Ἀσπάσιος σύγχρονος* — *συγχρονῶν*, *Αὐγέας Πυρφόρα* — *Πορφύρα*, *Ἀφρικανός Σέκτωρ* — *Σέκτος*, *Βῶλος Δημοκρίτιος* (quod sola praebet) — *Δημόκριτος*, *Δείναρχος εἷς τῶν* — *τῶν εἷς*, *Δίκτυς ἐπὶ Κλαυδίου* — *ἐπὶ Κλταδίου*, *Διοκλῆς Θυέστης* — *Θυέστης β'*, *Διονύσιος Κορ. ἐν βιβλ. τρισίν* — *ἐν βιβλ. α'*, *Διοσκορίδης ἰατρὸς βοτανικὸς* — *βοταν* om., *Δέξιππος* — *Διώξιππος*, *Εἰρηναῖος γραμματικοῦ* — *γραμματικός*, *Ἑκαταῖος Ἀβδ. Κρητικός* — *κριτικός*, *Ἑκατ. Ἡγ. Ἀγεσιλάου* — *Ἀγησιλάου*, *Ἐμπεδότιμος ἔδοξε* — *ἔδοξε καί*, *Ἐπιμενίδης ἐπικῶς, μυστ. καὶ αἰνιγματώδη καὶ καθαρτικὰ καὶ ἄλλα* — *ἐπικῶς, μυστ. καὶ καθαρὰ δὲ καὶ ἄλλα αἰνιγματώδη*, *Ἑρμαγόρας Ἀμφ. ἢ περὶ ἀτυχημάτων* — *α' περὶ ἀτ.*, *Ἑρμ. Τημ. Καρίων. ἔγραψε μελ. ῥητ.* — *Καρίων. ῥητορικας* vitiose, *Ἑρμείας* — *Ἑρμίας*, *Εὔμολπος χειροσκοπικὰ ἐν δυσὶ βιβλ.* — *χειροσκοπικά. πεζὰ δὲ βιβλίον ἕν*, *Εὐστάθιος ἐν τόμοις εἴκοσι* — *ἐν τόμοις θ'*, *Ζηνόβιος ἑλληνιστί* — *ἑλληνικῶς*, *Ζηνόδοτος Φιλητοῦ* — *Φιλητᾶ*, *Ἔφιππος εὑρημάτων* — *εὑρεμάτων*, *Ἔφορος Γαλήνου* — *Γαληνοῦ*, *Ζώσιμος ὑπογράφεται* BE Eud. *ἐπιγράφεται* Ald. vulg., *Θεόπομπος ἀκουστὴς ἅμα Ἐφόρῳ. ἔγραψεν* — *ἀκουστής. ἅμα Ἐφ. ἔγρ.* libri Suid. Ald., *Θέων Ῥαδικίου* — *Ἐκδικίου*, *Θησεύς Ἰσθμικοῦ* E Eud. *Ἰσθμιακοῦ* vulg., *Ἰοφῶν τραγῳδοποιοῦ* (sic A v. *Ἰσοκρ.*) — *τραγῳδιοποιοῦ*, *Ἱππείας* — *Ἱππίας*, *Ἵππυς ὃς ἔγραψε* — *καὶ ἔγρ.* et *Σικελῶν* — *Σικελικάς*, *Ἀρχαιολογικῶν* — *Ἀργολικῶν*, *Κάδμος καὶ Λυκ. καὶ Κάδμον* — *Λυκ. καὶ Καδ.* et *ἱστορίας ἐν βιβλ. ις'* — *ἱστορίας ις'*, *Καρνεάδης Φιλοκόμου* — *Φιλοκώμου*, *Κεκίλιος*

Κάλαντις — *Κάλλαντις*, *Κηφισόδωρος* — *'Αντιλαΐς* om. — habet, *Κλεοβούλη* — *Κλεοβουλίνη*, *Κλεοφῶν Περσεύς* — *Περσίς*, *Κόλουθος ἐγκώμια* — *καὶ ἐγκ.* et *καλυδωνιακά* — *καλυδωνικά*, *Κράτης Μαλλώτης* — *Μελλώτης* et *διόρθωσιν* (sic etiam Bas.) *δὲ ὄρθωσιν* ABVEM Ald., *Κῦρος Πανοπολίτης* — *Πανοπλίτης* BEM Ald., *Λογγῖνος καταφειδίου* — *κατὰ Φειδίου*, *Λούπερκος κτῆσιν τῶν* — *κτῆσιν τοῦ*, *Λύκος Βουθύρας* — *Βουθήρας* et *Λυκοφάνους* — *Λυκόφρονος*, *Λυκοῦργος 'Αριστογείτωνος* — *'Αριστογείτονος* et *Πασικλέου* — *Πασικλέους*, *Λυσίας τούτους* — *τούτοις*, *Λύσιππος* om. *Θυρσοκόμος* — habet *Μενεκράτης ἰασθέντας* — *ἰαθέντας*, *Μεσειμήδης* — *Μεσομήδης*, *Μεταγένης* — *μαμμάκουθος* — *μαμμάκυθος* et *'Ομέρης* — *"Ομηρος*, *Μίθαικος ὀψαρτικά* — *ὀψαρτυτικά*, *Μνησίμαχος νέας κωμ.* — *μέσης κωμ.* et *Βάσιρις* — *Βούσιρις*, *Νικόστρατος εἰ καὶ Φιλ.* — *ὃς καὶ Φιλ.*, *Νόννος 'Ιωάννην* — *θεολόγον*, *'Ορφεύς νεοτευτικά* — *νεοτευκτικά*, *'Ηεργίνου* — *Περγίνου*, *ἀμμοκοπίαν* — *ἀμοκοπίαν*, *Παλαμήδης 'Ελεάτης* — *'Ελεατικός*, *Παλαίφατος ἱστ. β. υ'* — *β. ει'*, *Παμφίλη φιλόσ. καὶ ἱστορ.* — *σοφή*, *Πάμφιλος οε'* — *σε'*, *Παῦλος Βησσαρίωνος* — *Βησαρίωνος*, *Πείσανδρος Λυκάων* (quod etiam Bas. servatum probat Steph. Byz.) — *Λυκάνειος*, *Παλαίφατος Αἰγ. ἀλληγορίας* (quod verum esse suspicor) — *λίας* Ald. vulg. (quod aut male intellecto compendio *λύσεις* ortum [nam $\lambda^{v'}$ M] aut syllaba residua deletae vocis *ἀλλ.* est) — *λύσεις* Par. Med., *Πίγρης* om. *οὐλομένην* — Ald. habet, *Πλάτων* — *μαμάκυθος* — *μαμμάκυθος*, *Πλάτων πολιτική* — *πολιτεία*, *Πολέμων Λυκίας* — *Γλυκυίας*, *Πολύαινος* — *θριάμβου*, *Παρθικά* — *θριάμβου Παρθικοῦ* et *ὑποτυπόσεις* — *ὑποτυπώσεις*, *Πρόκλος τῶν θεῶν* — *τὸν θεὸν* Bas. Ald. *τὴν θεὸν* AV, *Πτολ. Πινδαρίων* ϛ (= 6) — ϙ (= 90), *Πυθίας* — *Πυθέας*, *Πῶλος 'Αμάστου* — *Δαμάστου*, *Σαβῖνος ἐν βιβ.* — *εἰς βιβ.*, *Σαπφώ Εὐριγύου* — *'Ηεριγύου*, *Σερῆνος ὁ Αἰλ. ὁ καὶ 'Αθ.* — *ὁ καὶ 'Αθ. ὁ Αἰλ.* ABVE Ald., *Σόλων ποίημα δι' ἐλεγ.* — *ποί. δὲ δι' ἐλ.*, et *ὑποθήκας*, *ἐλεγείας* — *ὑποθήκας δὲ ἐλεγείας*, *Στησίχορος κιθαρῳδίᾳ* — *κιθαρῳδία*, *Σωτάδης φιλ. βιβ. τρία* — *βιβ. α'*, *Φοινικίδης Φίλαρχος* — *Φύλαρχος*, *Φαίδων Σκαμίας* — *Σιμμίας*, *Φιλήμων* — *πρότερον* —

πρότερος, *Φιλίσκος Ἀρχενίδου* — *Ἀρχωνίδου*, *Φιλιστίων μισοψισταί* — *μισοψηφισταί*, *Φόρμος εἰσὶ δὲ ταῦτα* — *εἰσὶ δὲ* om., *Χείρων ἱππιατρικῶν* — *ἱππιατρικόν*, *Χοιρίλος ἐνίκησε δὲ ϙ'* — *ἐν. δὲ ιγ'*, *Χρύσιππος πλείω* — *πλείων* M Ald.

Nec monere opus est, eas Violarii lectiones, quas enumeravi, ex exemplari typis iam impresso non describi potuisse, cum ne levissimus quidem vel stupidissimus librarius nedum falsarius talia peccaverit. Aldi enim editio vel putidissimis oculis nullo opere adhibito perlegitur. Nec minus constat, ne codicem quidem Aldi Manutii — si quidem praeter editionem Mediolanensem etiam librum manuscriptum eum consuluisse iudicas, quod in medio relinquam — Violarii auctori praesto fuisse, quippe prorsus diversum eum habuisse manifestum est. Quod si recte nobis expositum est, cum nunquam codicem Suidanum sive codicis familiam talis generis, quale in Violario appareat, fuisse constet, qui nec praestantioris nec deterioris librorum familiae affinis sit[1]), Violarii vitae mixtum potius offerre manuscriptorum genus videntur, quod non nisi correcturis librarii vel librariorum natum esse concludo.

Atque iam eo provecti sumus, ut totam quaestionem aliquanto confidentius solvere possimus. Quod si ex diversis exemplaribus textum, quem habebant, corrigere studebant librarii, non Suidae textum, cui medelam afferre omnino non opus fuerit, in manibus habuisse putandi sunt, sed alium, quem cum Suidae libris, plerumque deterioribus, comparantes et discrepantias vel lacunas vel menda observantes iam sanare atque, ubi mancus videbatur esse, additamentis Suidanis augere tentaverunt. Quo facto, quin unum epitomes Hesychianae exemplar a Suida descriptum sit, alterum (vel idem) ab Eudocia, quod incuria librariorum plus aequo nobis obscuratum esse maxime est dolendum, equidem nullus dubito. Et haec res vel eo confirmatur, quod *Androclidis*, Lydi fili, duae in Violario servatae sunt vitae (p. 101 et

1) Adde, quod in nullo codice desiderantur articuli literae Ξ, qui desunt in Violario, unde olim unum eius folium intercidisse suspicor.


p. 127), quarum alteram uberiorem ex ipsa epitome manasse suspicor, illam additam ex Suidae aliquo libro. Neo verendum, ne bona Eudocia dormiens utramque ex Suidae lexico descripserit. Idem fortasse statuendum de *Theognidis* poetae vitis (p. 367 et p. 375) in Violario extantibus, quarum unam ex Suidae lexico descriptam esse censeo.

Sed etiam paulo latius nobis exspatiandum est. Saepissime enim, cum eos qui editiones principes curabant, nullum textum typothetis excudendum tradidisse notum sit, quin eum prius repurgassent auxissentque (cf. Villoison. Anecd. II p. 261) quod et ex Demetrii Chalcondylae editione Mediolanensi, Aldi Veneta, Frobenii Basileensi, Porti Genevensi et ex Pseudo-Hesychii, quem nuper edidi, tractatu (praef. p. V) satis constat, etiam Violarii textum descriptum, emendatum, additamentis multifariis ornatum esse suspicor, ut mox typis exprimeretur. Quod quominus fieret, fortasse morte illius critici prohibitum est, qui editionem vulgaturus erat. Qua igitur ratione Demetrius Chalcondylas suam Suidae editionem inquinavit additamentis ex Stephano Byzantio, Paulo Aegineta, Astrampsychi Onirocriticis (de quibus cf. praef. Kusteri), Zonarae lexico (cf. Bernhardy, praef. p. XCI) al. decerptis, quo facto novum fere lexicon Suidani vicem reddidit, sic noster quoque editor Violarium, quod iam ante ab lectoribus et librariis deformatum interpolationibus erat, permultis additamentis auxisse et quemadmodum Chalcondylas textum mox ex suo ingenio mox ex aliis exemplaribus emendasse putandus est.[1]) Qui cum non verbum cum verbo componeret, sed data occasione has illas vitas cum Suidae textu conferret, nonnulla in Violario remansisse sequitur, quae nunquam in Suidae codicibus vel editionibus extitisse manifestum est.

---

1) Operae pretium est conferre, quam aperte ac libere ipse Chalcondylas hoc suum studium in praefatione Suidae iactet: *οὐ μὲν ἄλλα καὶ λέξεις ἐνίας αἵτινες τὸ παράπαν οὐχ ὑπῆρχον ἐν Σουΐδᾳ ἄλλοθέν ποθεν συλλέξας προσέθηκεν, ὡς ἂν οἱ ζητοῦντες τὸ σημαινόμενον αὐτοῦ ἔχοιεν ἀπονώτερόν τε καὶ ἑτοιμότερον ἐντεῦθεν πορίζεσθαι, καὶ λέξεις δέ τινας ἀνερμηνεύτους, ἔνθα ἐνεχώρει, ἐπιμελὲς αὐτοῦ γέγονε σαφηνίσας.*

Quae si recte se habent, hoc vitarum stemma apponere licebit:



Quibus expositis, nemo, opinor, miratur, quod in nonnullis vitarum locis et omnes Suidae libri et Violarii codex lectiones mendosas continent, quas ex Hesychii Onomatologo non fluxisse veri simillimum est; quod moneo propter Daub, Stud. p. 138 al. Attamen partem mendorum, potissimum in nominibus propriis, quis est qui iam ab epitomatore profectam esse neget? Vel ab ipso Hesychio, qui in multis quaestionibus tantopere a vero aberravit?

Hinc totam Pulchii thesin labefactam esse opinor. Epitome enim Onomatologi si auctor Violarii, quicunque est, utebatur, saeculo undecimo is scripsisse putandus est, cum saeculo duodecimo illam iam interiisse supra dictum sit. Tum autem plurima fere, quae de exemplaribus typis expressis Pulch protulit, infirmari falsariumque ab illo effictum in aërem dissolvi necesse est, quamquam nostro Violario nonnulla ex editis libris inspersa esse negare nolim.[1])

---

1) Phavorinum potissimum excipere malo, quia de eo ab aliis post Pulchii subtilem dissertationem quaestionem denuo institutum iri spero. Nec minus res de nonnullis Cornuti editionis Basileensis articulis constare videtur, quod ille p. 70 certissimo evicit argumento. Quidnam vero de auctore Violarii efficitur, si librarius saeculi decimi quinti vel sexti quaedam ex editionibus correxerit vel descripserit? — Denique moneo, Pulchium p. 45 seq. etiam de commentariis Nonni Abbatis, Eudociae fonte, recte iudicasse, quod postquam egregius cod. Tubingensis M 6. 40 membran. saec. XI, quo Greg. Naz. orationes con-

IV. Iam eo provecti sumus, ut ea examinemus additamenta, quae Eudocia sola habet, de quibus ipse copiose disputavi Unters. p. 38 seq. Posthac quaestionem retractaverunt Daub et Pulch l. c. Taedet nunc omnia recoquere — velut *κατὰ Λυσίμαχον* in vita Diogeniani, de quo garrivit Pulch p. 83 —, sed placet apponere eos scriptorum titulos, quos aut sola aut uberiores nobis praestat quosque cum in dubitationem non vocandi sint, nec finxisse nec ex ipsius litterarum scientia addidisse, sed e fonte suo integriore eam descripsisse concludo. V. *Μένιππος* (sc. *Ἕρμιππος*) add. *Ὄφεις*, quam fabulam non ficticiam esse vidit Meineke I p. 494; v. *Πολύζηλος* add. *Ἄρεως γοναί*, quod casu in nostris Suidae exemplaribus intercidisse opinatus est Daub; v. *Μάξιμος Τύριος* add. *τίς ὁ θεὸς κατὰ Πλάτωνα*, quod opusculum hodie adhuc extare nemo nescit; v. *Σαλούστιος Μοψ.* habet *περὶ πυρετῶν, περὶ κατασκευῆς τοῦ ἀνθρώπου καὶ ἄλλα ἰατρικά*, quae quin medicum inprimis deceant nemo dubitet; v. *Σιβύρτιος* add. *μελέτας τε καὶ ἐπιστολάς* admodum probabiliter; v. *Πορφύριος* rectius titulum exhibet *τὰς καλουμένας ε' φωνὰς* [*ἢ* recte suppl. Daub] *τῆς Ἀριστοτέλους λογικῆς πραγματείας μεθοδικὰς εἰσαγωγάς* (est enim titulus *εἰσαγωγὴ ἢ περὶ τῶν πέντε φωνῶν*); v. *Πρόκλος δεύτ.* add. *ἔγραψε κατὰ Ἐπικούρου δ', περὶ προνοίας βιβλία β'* quae olim in Suidae exemplaribus fuisse non probat Daub (*πρὸς Ἐπίκουρον* opus maiori Proclo dedit Suidas); v. *Σαννυρίων* add. *Ἰνὼ* et *Σαρδανάπαλος*, quas comoedias erroribus palaeographicis deberi mira iudicii perversitate Bernhardyo credit Pulch p. 89; v. *Ἄψυρτος* add. *βιβλ. δ'*; v. *Ῥοῦφος* add. *περὶ τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων δύο, περὶ ὀστῶν ἕν*, quod certe cum extet eius libellus *περὶ θέσεως καὶ ὀνομασίας τῶν τοῦ ἀνθρώπου μορίων* (vel *ὀνομασίαι τῶν κατὰ ἄνθρωπον*, quode cf. Rohde, de Poll. font. p. 90 Add., Diels, Doxogr. p. 208), nec mentita est neque e suis thesauris addere poterat; cuinam enim Daub de Viol. p. 10 persuadebit, Eudociae in medicorum vitis uberiores fontes praesto fuisse, cum eandem medicos plus aequo

---

tinentur, in manus venit, luculenter patefactum est. Nempe et Iacobus Billius, qui latine eos vertit, et Eudocia meliore ac locupletiore utebantur Nonni exemplari, quam quae in editionibus nostris descripta sunt.

neglexisse luce clarius sit; v. *Σιμωνίδης Λεωπρ.* add. *ἡ ἐπ' Ἀρτεμισίῳ ναυμαχία*, quod verum esse docuit Bergk, Poet. Lyr. p. 1145[1]); v. *Φίλων Βυβ.* add. *ἐπιγράμματα βιβλία δ'*, quae suspicione vacare vidit Müller, fr. hist. III p. 560; v. *Φιλητᾶς* sola add. *τὰ καλούμενα Ναξιακά*, quae ad Philteam historicum spectare post Meinekium vidit Müller IV p. 478, unde etiam Philteae vitam nunc deperditam in Hesychii Onomatologo descriptam fuisse merito colligi potest; v. *Χριστόδωρος* add. *ἐπιγράμματα γ', ἐπιστολὰς βιβλία δ'*, de quibus non sana extat disputatio Pulchii p. 90, cum nec de epigrammatis (quae ad statuas spectant) nec de epistolis dubitandi locus sit. Minutiora denique additamenta adnecto haece: v. *Ἀρχιγένης* add. *τοῦ ἰατροῦ*, v. *Ἀνδροκλείδης* add. *ἐν Ἀλεξανδρείᾳ*, quod de suo eam addidisse non probat Pulch p. 82, v. *Συνέσιος* add. *πρὸς Ἀρκάδιον*.

Quae omnia si ex suo addidit Eudocia, sane doctissimam mulierem fuisse patet, quam nunc 'olidam' dicunt critici.[2]) Sed nescio an testimonium luculentissimum extet v. *Ἀρριανός*, ubi in ed. M et Ald. post *ῥαψῳδία* lacuna a typothetis signata est (debebant potius post *κδ'*), cum Eud. praebeat *καὶ ἄλλα πολλά*, quae verba ante *εἰς Ἄτταλον* supplenda esse manifestum est. Nec minus certum apparet v. *Ἀσπάσιος Δημ.*, ubi *κριτικοῦ καὶ μαθηματικοῦ* pars librorum praestat, *κριτικοῦ, μαθηματικοῦ* BEM Ald. Eud., *κρ. καὶ μαθητής*, quod equidem lego, A (unde *καὶ* olim fuisse elucet), sed quae infra add. Eud. *υἱὸς καὶ μαθητής* et vera esse probatur Philostrat. Vit. II, 33 et pro *καὶ μαθηματικοῦ* restituenda esse suspicor.

At si fortasse haec omnia in integrioribus olim Suidae libris exstiterunt, quod Bernhardyo (praef. Suid. p. XXXIII), Meinekio (fr. com. I p. 35 al.), Daubio in dissertatione de Violario, parumper vel Wilamowitzio, videlicet anno praeterito, visum est, quamnam nos statuemus codicum indolem ac naturam? Nempe cum saepius conspiret Eudocia, ut supra dixi,

1) Habet etiam schol. Ar. Vesp. 1402, quod ex Suida intulit Musurus. Sed cum omnibus Suidae libris desideretur, nonne potius ex Violario id immigrasse putabimus?

2) Cf. Wilamowitz, apud Maass. Biogr. p. 148; in 'stupidissimis' eam habet Maass. p. 115.

cum deterioribus Suidae libris, rarius cum A vel AV, nec praestantiorem codicum familiam nec viliorem communia illa unquam praebuisse probabile sit, tertiam nobis praestantissimam, quae casu prorsus interierit Eudociaeque soli praesto fuerit, supponendam esse sequitur. Suidae autem archetypum, a quo nostri descendunt AV, cum saeculo undecimo vel duodecimo oriundum esse necesse sit, Eudociane, quae undecimo scripsit, eiusdem familiae codicem non adhibuisse putanda est, sed etiam meliorem, fortassė saeculi decimi, quo exeunte Suidas vixerit, idem videlicet exemplar, quod Suidas ipse conscripsit? Hoc probabile esse, quis est, qui credat? At si falsarius Pulchii Rhenanus saeculi sexti decimi Violarium composuit, eundem, quem plerumque vilissimis libris usum esse omnibus exploratum est, in describendis Suidae articulis praestantissimum et integerrimum exemplar optimae familiae in manibus habuisse putabimus? Post eumne et familiam et exemplar eius prorsus evanuisse? Hoc quoque ridiculum esse quisque sapiens mecum sentiet.[1])

V. Atque cum eas Eudociae vitas examinaverimus, quibus Suidae articulis uberiora praebet, nec talia adscripsit, qualia vel ipsa fingere vel quopiam ex fonte nullo opere depromere potuerit, nunc eas nobis perstringere liceat, quibus aliquid omisit, quod in Suidae libris suspectum ab Hesychiique ingenio alienum viris doctis visum est. v. *Ἀγαϑίας* om. verba inepta *τὸν Καισαρέα* — *Βυζαντίῳ* partim ab aliis aliisque de causis in suspicionem vocata; v. *Ἄψυρτος* om. *καὶ ἔγραψε* seq., quae verba lectorem ex glossa *τρίλλα* addidisse constat; v. *Δημάδης* om. *οὗτος* — exit., quorum de absurditate consulas Daub. de Suid. p. 476; v. *Δικαίαρχος* om. verba *καὶ νόμος* — exit. ex altero aliquo glossemate orta; v. *Δικαιογένης* om. glossam grammaticam *ὄνομα κύριον* et sequens *ὅς*; v. *Ἑρμείας* om. verba *ὁ εὐνοῦχος*, quae cum infra redeant, supervacanea esse patet; v. *Διοκλῆς* om.

1) Nam quod Wilamowitz affert exemplum Arsenii, qui saeculo sexto decimo melius Photii exemplar adhibuit, quam noster Galeanus est, hoc ad nostram quaestionem nil facere alio loco dixi. Unus enim cum nobis servatus sit Galeanus, saec. XIII vel XII exeuntis ex Porsoni sententia (cf. Naber I p. 4), saeculo sexto decimo plures fuisse eosque meliores, a probabilitate non abhorrebit.

τοῦτον δὲ — exit., quae subditicia esse perspexit Bernhardy; v. Διονύσιος Μιτ. om. verba suspicione non vacua ταῦτα — Παρμένοντα; v. Διονύσιος Μουσ. om. Suidae additamentum ὑπολαμβάνω seq., quo de patria Rhodii dubitat (cf. Daub, Stud. p. 131); v. Ζήνων Μουσ. om. verba inepta (aut καὶ αὐτοῦ corr.) δὲ καὶ αὐτός (cf. Volkmann, Quaest. nov. p. IV not. 1); v. Θεόπομπος om. verba ineptissima δράματα αὐτοῦ — exit., de quibus rectissime iudicavit Bernhardy, ἔγραψε — exit. ad historicum cognominem pertinere ratus (cf. Meineke I p. 243); v. Ἰάσων Ἀργ. om. γραμματικός, quod ineptum esse vidit Daub; v. Ἰάσων Μεν. om. οὗτος, quod a stilo Hesychiano magis abhorret; v. Κάστωρ om. verba vitiosa omnibusque libris servata Βαβυλῶνος καί, quae merito a Bernhardyo et Westerm. inclusa sunt (eadem insana esse monuit Gutschmid); v. Κικίλιος om. Νουμήνιος — exit. ex Athen. I p. 3 videlicet a Suida descripta; v. Κράτης Ἀθ. om. verba a Meinekio expuncta ἔγραψε δὲ καὶ καταλογάδην, quae adscripsit lector poetam confundens cum Cratete Mallota (similiter lector v. Σέξτος Χαιρ. add. σκεπτικά Empiricum esse ratus); v. Κρατῖνος om. φιλοπότης δὲ καὶ παιδικῶν ἡττημένος, quorum hoc certe Suidae deberi male intellegenti Arist. Acharn. 850 et 1172 vidit Meineke I p. 46, illud potandi vitium, quamvis verius sit, miro modo succedit verbis λαμπρὸς τὸν χαρακτῆρα, quamquam ferri quidem potest; v. Λεωνᾶς om. ὅς — exit., quae e Marini vita Procli adscripsit Suidas; v. Λιβάνιος om. οὗτος — exit. quae ex Eunapio adscripsit Suidas; v. Λουκιανός om. τελευτῆσαι — exit. verba Suidae vel lectoris ingenium aperte prodentia, quemadmodum antea verba ἢ ἄθεος εἰπεῖν μᾶλλον, quae om. Eud. cum V, habet A in marg.; v. Λυγκεύς om. verba absurdissima et ab Hesychii more maxime recedentia δὲ γέγονεν ὁ Λυγκεύς (cf. v. Ὄλυμπος s. fin.); v. Λύσιππος om. fabulam Θυρσοκόμος, de qua nil omnino compertum esse constat; v. Μάγνης om. οὗτος ἀρχαίας — δρᾶμα, quae ex schol. Ar. Equ. 518 fluxisse editores viderunt; v. Μεσομήδης om. verba ὃς ἦν — παιδικά a lectore studioso adscripta; v. Μόσχος om. verba mutilata sensuque carentia ἔγραψε καὶ αὐτός; v. Νικόλαος om. verba καὶ ὑπάτου suspecta Bernhardyo nec

minus Gutschmidio; v. *Νικ. Δαμασκηνός* om. fabulam *οὗτος* — exit., quam ab ipso Suida additam esse probabile est; v. *Νεόφρων* nescio an rectius om. verba *Νεόφρων ἢ*; v. *Νύμφις* om. *Νύμφιδος*, quod non ad Hesychianam vitam, sed ad glossam grammatici genetivum adscribentis (cf. v. *Ἀραρώς*, *Δέξιππος*, *Ἴστρος* al.) ab Suida neglegenter coniunctam spectare vidit Müller III p. 12; v. *Ὀρφεὺς Λειβ.* om. verba inepta et conexum perturbantia *ἐν τούτοις δ' ἐστί*, quibus expunctis locus vitiosus optime sanatur; v. *Παλαμήδης* om. verba inepta *ὑπολαμβάνω* — exit.[1]), neque hoc loco Aldina eam usam esse probabile, quippe quae praebeat *ὑπολαμβάνω δὲ καὶ τὸν ποιήσασθαι* (etiam in vita Dionysii Musonii tale Suidae additamentum extare supra dixi); v. *Παρθένιος* om. verba *οὗτος ἐλήφθη* — *Καίσαρος*, quibus duas animadversiones vitiosissimas contineri patet; v. *Περίανδρος* om. verba *οὗτος* — *ἔθελεν* ex Diog. I, 97 manifesto adscripta; v. *Πλάτων κωμικός* om. verba ineptissima *ὥς φησιν Ἀθ.* — exit., quibus nugas inesse vidit Meineke; v. *Πορφύριος* et verum verborum ordinem praebet Longinum praeceptorem post Plotinum enumerans verbaque *ὃς κυρίως* post *φιλόσοφος* collocans et om. inepta *Ἀμελίου τοῦ* et *μαθητοῦ*, quam addidisse Suidam male intellecta vocula *οὗ* in v. *Πλωτῖνος* supra dixi (II § 3), et titulos accuratius descripsit; v. *Προαιρέσιος* om. *οὗτος* — exit., quae violato more Hesychiano post enumerata scripta sequuntur et alteram de aetate eius notitiam afferunt (nam supra dixerat *γέγονε δὲ πρὸ Λιβανίου* —); v. *Πρόδικος* om. narrationem *καὶ παροιμία* — *πλήθει* ex schol. Ar. Nub. 360 manifesto compilatam; v. *Πρόκλος* om. *οὗτος* — exit., quae cum nec minus quam verba Luciani vitae adhaerentia Suidam redoleant, recentius subiuncta esse iam perspexit Bernhardy; v. *Σαπφώ* om. verba *ἦσαν* — *Σαλαμινία*, quae ab Alexandrinorum grammaticorum doctrina recedere vidit Schoene, Symb. Bonn. p. 741 et 759, laudatus Daubio

1) Suidae dedit etiam Daub, Stud. p. 136. Alios tamen Hesychio haec vindicare moneo, quorum loco in A leguntur verba *καὶ ὑπὸ τοῦ Ὁμήρου* rel. omissis, in brevius coacta, ut videtur, ex uberiore sententia vulg., nisi potius in vulg. a tenuiore cod. A (i. e. Hesychii) scriptura Suidae ambages profectas esse suspiceris.

de Suid. p. 428, nec minus om. extrema verba καὶ ἰάμβους καὶ μονῳδίας, quae inepta videntur; v. Σίβυλλαι om. uberiorem Chaldaeae vitam, quam ex eodem fonte Suidas et Anonymus apud Cramer. Anecd. Par. I p. 332 addiderunt[1]); v. Σιμωνίδης Κεῖος om. εὑρήματα — exit., quae suspectissima esse monuit Daub, Stud. p. 18; v. Στράττις κωμ. om. verba mendacia ὥς φησιν — exit., quae nebuloni deberi probavit Wachsmuth, Symb. p. 151; v. Στράτων φιλ. om. καθηγήσατο — Φιλαδέλφου ex Diog. V, 58 huc intrusa; v. Σωσιφάνης om. οἱ δὲ Ἀλεξάνδρου — exit., ubi eadem temporis indicia ineptissime iterata per Olympiadum numeros putavit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 219 not. (cf. Φερεκύδης Συρ.), praeterquam quod verba οἱ δὲ ἀκμάσαι seq. lectorem sapiunt; v. Σώφιλος om. verba inepta ὥς φησιν Ἀθήναιος (quae emendare tentaverunt Rohde et Daub); v. Φίλιππος om. verba ὡς — Δειπνοσ., quibus falsam de Athenaeo notitiam contineri vidit Kusterus; v. Φόρμος om. μέμνηται — exit., quae ipsum Suidam ex Athen. XIV p. 652 descripsisse patet; v. Φρύνιχος κωμ. om. alterum Σάτυροι, quod male repetitum esse perspexit Wachsmuth, Symb. p. 151.

Quod si argumenta graviora requiris, tibi proponam vitam alteram *Alcmanis* et *Sapphonis*, tertiam *Corinnae* ab Eudocia omissas, quas commenticias esse constat, om. alteram *Pyrrhonis Phliasii* ab impostore aliquo ex Timonis perperam conglutinatam, om. *Euschemi* comici ex mendoso loco Athen. XIII p. 571 inepte effictam, om. alteram *Soteridae* ex Pamphilae misere compositam (cf. Daub, de Suid. p. 411 not.)[2]), om. alteram *Sopatri* comici (παρῳδός), quam Suidam ex Athenaeo intrusisse probat Daub, Mus. Rhen. XXXV p. 64 (om. etiam A)[3]), om. tertiam *Critonis* (ἔγραψε Γετικά), quam omittunt

---

1) Addidit illa quidem ἑβδόμη Χαλδαία, πρός τινων Ἑβραία ἢ περὶ Χριστοῦ προφητεύσασα, quae fortasse Hesychio ipsi debentur, quem ut saepius Suidas aspernatus ex sua doctrina auctiora dedit. Fortasse autem ex Suidae lexico in angustum coactum est. Moneo autem, Sibyllarum vitas in Violario p. 643 extantes de Suida non pendere, de quo confidentius dixit Maass, Sib. p. 53.

2) Unum quod hic accessit Σωτ. Ἐπιδαύριος ex voce Ἐπιδαυρία in gl. Παμφίλη ortum videtur.

3) Delendam esse vidit etiam Sommerbrodt, de phlyacogr. p. 32.

etiam AV (nempe hunc Critonem non diversum esse a Naxio vidit Müller III p. 373), om. denique *Amelii* philosophi vitam a Suida infeliciter detortam ex Porphyr. vit. Plot. 2 (bis enim eum in hac vita lapsum esse constat) et *Anticlidis* ex schol. Arist. Nub. 144.

Num fortuito haec omnia silentio Eudociam praetermisisse putas? An consulto? Quod si consulto putas, certe mulier grammatica non olida esset, sed acerrimo ingenio praedita, cum genuinum Hesychium in Suidae vitis enitere agnosceret omniaque, quae ab Hesychii stilo et ingenio abhorrerent, ultro expungeret. Sed hoc aliter se habere censeo. Cum omnes Suidae libros illa additamenta ab initio tulisse concludas oportet, Eudociam in illis vitis describendis non Suidae lexico usam esse consectarium est, sed fonte eius sincero atque integro neque ipsius Suidae vel lectorum eius nugis insulsis et vitiosis inquinato.

VI. Denique iam enumerabo nonnullas vitas, quibus aliquid rectius Eudocia legit, quam Suidae libri nobis servati. Quod iam Meineke perspexit, qui pluribus locis Eudociae lectiones sese Suidae praeferre confessus est, velut fragm. com. I p. 46, p. 58 al. Nec minus aliis Eudociae lectionibus nonnunquam honor datus est, velut v. *Δείναρχος*, ubi sola habet *εἷς τῶν*, quod magis arridet, quam Suidanum *τῶν — εἷς*; v. *Σίβυλλα*, ubi sola legit *Σαρδιανήν*, quod revocavit Kusterus, proclivi emendatione illam emendasse putat Daub, de Viol. p. 22 (*γὰρ δάνην* V, *Σαρδίνην* E, *Σαρδώνην* B, *Σαρδάνην* Ald.). Sed etiam v. *Ἀκύλας* recte habet *γραμματικὸς καὶ μουσικός*, cum *καὶ* omiserint omnes Suidae libri; v. *Ἄρατος* sola *ἐπικήδειον Κλεομβρότου*, quod merito praetulerunt Westerm., Bernhardy, al. prae Suidae lectione *τὸν* vel *τοῦ Κλεομβρότου*; v. *Ἑρμαγόρας Ἀμφ.* sola *ἢ περὶ ἀτυχημάτων*, quod laudat etiam Bernhardy, rec. Westerm., *α' περὶ ἀτυχ.* vulg. *α'* om. BE (consulto, ut suspicor); v. *Ἑρμείας* recte add. *φιλόσοφος* (om. *ὁ εὐνοῦχος*), quod necessarium esse suspicor; v. *Ἔφορος* sola legit *εὑρημάτων*, Suidae libri *εὑρεμάτων*; v. *Κορνοῦτος* om. verba *οὗτος ὁ* addita a Suida, qui antea de rhetore Cornuto agens rhetorem et philosophum confudit, nec minus recte habet *Λεπτίτης* (*Λεπτὶς δὲ ὄνομα πόλεως*), *φιλό-*

σοφος, quod in Suidae libris corruptum est in *Λεπτίτης*, φιλόσοφος (*Λεπτὶς δὲ* seq.), quode cf. v. *Κρίτων Πιερ.* al.; v. *Μάναιχμος* melius habet εἰς τὴν *Πλατ.* πολιτείαν pro τὰς πολιτείας (cf. *Ποτάμων Ἀλ.*, *Πρόκλος Λυκ.*, *Συριανός*: cf. etiam *Ὀνόσανδρος*); v. *Μουσαῖος Ἐλ.* sola legit ὑπὲρ τῆς *Ἑλένης*, quod probavit Passowius; v. *Ναυσικράτης* rectius habet *Περσίς*, quod laudat Meineke, rel. *Πέρσις*; v. *Παλαίφατος* rectius titulum tradit περὶ ἀπίστων ἱστοριῶν, quem etiam codices nobis servati exhibent; v. *Παλαιφ. γραμ.* recte legit ἀλληγορίας pro λίας vel λύσεις codd. vel edd., quod suo Marte illam mutasse non probat Daub, de Viol. p. 22; v. *Παμφίλη* habet φιλόσοφος καὶ ἱστορική, quod magis cum Hesychii consuetudine concinit, nam Suidae lectio rigidior σοφή, quod nihil esse opinor (nam glossa v. *Σαγχωνιάθης* — σοφός nil confirmari opinor); v. *Πείσανδρος* praestat ἡρωικῶν θεογαμιῶν, quod cum vel Zosim. V, 29 legatur, rectius esse viderunt critici, quam Suidae ἡραικῶν θεογ. vitiosum; v. *Πίγρης* sola, ut videtur, post *Μοῦσα* om. οὐλομένην glossam ex Iliadis versu ab inepto librario intrusam, quam addiderunt ABM Ald. al.; v. *Πολέμων Εὐηγ.* post *Γλυκείας* om. ὄνομα, quod magis cum Hesychii locutione congruere supra dixi; v. *Συνέσιος* verba καὶ τὰς — ἐπιστολὰς a more Hesychiano non recedens ante καὶ ἄλλα πλεῖστα recte collocavit; v. *Συριανός* (cf. *Ὀρφεύς* et *Χάραξ*) verba συμφωνίαν *Ὀρφέως*, *Πυθαγόρου* καὶ *Πλάτωνος* περὶ τὰ λόγια coniungit tanquam unius operis indicem, quod verum esse probatur Marini Procl. 26 (τὰ *Ὀρφέως* ἢ τὰ λόγια); praeferebat etiam Bernhardy.[1])

Haec exempla, quae textum Suidae recensens collegi, sine dubio facillime augeri possunt. At vel ex iis, quae modo enumeravi, plerasque Eudociae vitas nec de Suidae libris manuscriptis nec de editis pendere iudico.

Theodosianis de vitis Apollonii Dyscoli et Herodiani in Sylburgii Apollonii libro manuscripto et cod Par. § 5
2603 servatis supra dixi (§ 3).

De Anonymo in Cramer. Anecd. Par. I p. 332 seq. nec § 6

1) Coniectura περὶ τῶν λογίων melius abstinuisset Kusterus.

minus de praefatore orac. Sib. p. 16 (ed. Alexandre) erravisse Mettauerum p. 58 prima huius capitis parte exposui.

§ 7 Schol. Lucian. Amor. 50 in cod. V praebere vitam Theramensis nescio unde desumptam dixi ad rhetoris vitam (cf. Lucian. ed. Jacobitz IV p. 163: *Θηρ. Ἀθηναῖος ῥήτωρ μαθητὴς Προδίκου τοῦ Κείου, ὃς ἐπεκαλεῖτο Κόθορνος*), alterum scholium Agathonis dixi in apparatu.[1])

Caput tertium.

De fontibus Hesychii.

§ 1 Antiquissimus fons, ex quo manavit Hesychii Milesii doctrina, Duris Samius est, cuius Samiaca laudari videntur v. *Πανύασις* (cf. Müller II p. 482), quem locum fortasse vel apud Laertium Diogenem, qui saepius Duridis historias compilavit, vel potius in eius fonte, libro aliquo *περὶ ὁμωνύμων* invenisse putandus est, vel apud alios, velut Porphyrium, quem de Duride saepé pendere dudum cognitum est.[2]) Parum enim res constat de Eugeone Samio, scriptore vetustissimo, qui ante bellum Peloponnessiacum vixit; eunden enim v. *Αἴπωσος* intellegunt Meineke, Anal. Al. p. 61 et Müller II p. 16, cum *Εὐγείτων*, quod libri praestant, tueatur Welcker. Post Eugeonem occurrit Aristagoras Milesius, Aristotelis fere suppar, laudatus v. *Χίλων*, quem locum ex Diog. I, 72 depromptum silentio omisit Müller II p. 98. Proximus est Hermippus Callimacheus, cuius *βίους* insignem Diogenis Laertii fontem fuisse, inprimis eorum singulas partes *περὶ νομοθετῶν* et *περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν*, inter omnes satis constat. Scripsit etiam *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* (cf. Athen. X p. 451). Laudatur ab Hesychio v. *Δημοσθένης*, *Σίβυλλα*, *Φιλίσκος*, quos locos Müller III p. 35 seq. prorsus

---

1) Suidas quoque ipse scholia in Lucianum adhibuisse videtur, si comparamus eius in Luciani vita animadversionem cum schol. Lucian. in m. Peregrini c. 13 (Jacobitz IV p. 247): *οἷα ληρεῖς, ὦ κατάρατε κατὰ τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ; ὅς σε καὶ τούτου ἕνεκεν ἀθανάτῳ παραδώσει κολάσει ὡς παραβάτην καὶ τὰ ἡμέτερα διασύροντα. ὦ τῆς ἀπεράντου συγχύσεως καὶ βδελυρίας πάσης γεμούσης εὐτραπελίας, μιαρὲ καὶ ἀκάθαρτε, ἀλλότριε τῆς ζωῆς καὶ μέτοχε τῆς αἰωνίου κολάσεως.*

2) Phavorinum Hesychio dedisse hariolatur Maass, Biogr. p. 120.

neglexisse merito mireris. Attamen ipsius Hermippi librum ab Hesychio compilatum esse nego, cum potius ex altero opusculo, velut ex communi eius et Diogenis fonte, Demetrii Magnetis vel Argesphontis *περὶ ὁμωνύμων* libro, locos istos descriptos esse ex v. *Φιλίσκος* coll. Diog. VI, 73 seq. vel *Νικόμαχος* coll. Diog. V, I (si Hesychiana est) colligi possit.[1])

Idem statuendum opinor de loco Nicandri Alexandrini, qui laudatur v. *Αἰσχρίων* (cf. Müller IV p. 462)[2]), cum locum Nicanoris, Alexandri rerum scriptoris, cuius Suidas mentionem iniecit v. *Σίβυλλα*, non ex Hesychio, sed ex Lactantio (i. e. Varrone) supra exposuerim coll. schol. Platon. VI p. 269 Herm. et Cramer. Anecd. Par. I p. 332 (cf. Müller, Al. script. p. 152), Artemonis autem Clazomenii, Polyhistoris aequalis, *περὶ Ὁμήρου* libellum, quem laudat v. *Ἀρκτῖνος*, in ipsius Homeri aliisque poetarum epicorum vitis usurpasse Hesychius videatur (cf. Müller IV p. 341). Num vero Alexandri Polyhistoris *περὶ Λυκίας* librum, qui citatur v. *Ὠλήν*, nec minus Theodori Iliensis *Τρωικά*, quae afferuntur v. *Παλαίφατος* (Müller IV p. 513[3]), ipse decerpserit necne, res sane ambigua est.

Difficilius autem est iudicatu, quis sit Crates, quem Hesychius v. *Ἀλκμάν* laudaverit, ubi *κατὰ δὲ τὸν Κράτητα πταίοντα*, id quod praebent A et Vat. Pearsoni, legendum esse omnes viderunt[4]) praeter Bernhardyum, qui sine ulla causa idonea *περὶ ποιητῶν* pro *πταίοντα* corrigendum censuit. Cogitandum enim videtur de Cratete Atheniensi, quem *ἐν ταῖς*

1) Daub, Stud. p. 148 hasce vitas de Hermippo pendere suspicatur: *Ἀνδροτίων, Ἀστυδάμας ὁ πρεσβύτης, Ἔφορος, Θεοδέκτης Φασηλίτης, Θεόκριτος Χῖος, Θεόπομπος, Θρασύμαχος, Ἰσαῖος, Ἰσοκράτης Ἀμύκλα* (coll. v. *Θεοδέκτης*), *Κόκκος*, *Ὑπερείδης* (coll. Athen. VIII p. 342, Pseudoplut. p. 313, 41 West.), *Φιλίσκος Μιλήσιος*. Expunxi *Ἔφορος καὶ Θεόπομπος*, quod Daub laudat nescius quid ipse p. 133 dixerit.

2) Contulit Daub, Stud. p. 150 etiam v. *Ἀντίπατρος*, *Καλλισθένης*, *Λέων Βυζ.*

3) Ceterum moneo, Daubium, Stud. p. 148 non recte attulisse *Ἐρατοσθένους* memoriam v. *Σίβυλλα Σαμία* extantem, cum hanc vitam ab Hesychio alienam esse ne Maassium quidem, de Sib. p. 53 seq. fugerit.

4) Similiter v. *Πολυδεύκης* — *τινὲς δὲ γράφουσι παίζοντες* (*πταίοντες* corr. Kusterus), v. *Κάστωρ Ῥόδιος* — *ὡς δὲ ἄλλοι ἐπλανήθησαν*.

Ἱεροποιίαις (quas non diversas esse a libro *περὶ τῶν Ἀθήνησι θυσιῶν* suspicatus est Müller) tractasse Homerum Homerique affines nepotesque docet Harpocrat. v. *Ὁμηρίδαι* (cf. Müller IV p. 370). Eodem autem loco etiam de aliis antiquis poetis eorumque patria eum disputasse probabile est. Itaque hoc quoque fragmentum in Mülleri collectione addi necesse est. Alii vero, velut Wachsmuth de Crat. Mall. p. 31 Cratetem Mallotam nostro loco intellegi maluerunt, quem in commentariis fortasse vel in recensionibus de Alcmanis patria et dialecto disputasse iudicant. Quam rem inde potissimum probari colligunt, quod unus Crates Mallotes tantam nactus fuerit gloriam, ut demotico non adiecto quis esset ab omnibus pariter intellegeretur. At hoc argumentum prae epitomatoris levitate minus valere neminem fugit.

§ 2 In philosophorum vitis Hesychius ex iis, qui nobis servati sunt, libris adhibuit Laertium Diogenem. Quod clare docent gl. *Εὐκλείδης* coll. Diog. II, 106, 108, 112, *Καρνεάδης* coll. IV, 64, *Κλεάνθης* coll. VII, 168, *Ξενοκράτης* coll. IV, 8 *Σιμμίας* coll. II, 124, *Σπεύσιππος* coll. IV, 1 et 4, *Τίμων* coll. IX, 109, *Χίλων* coll. I, 72, *Χρύσιππος* coll. VII, 179, 184—186; dubitatur de *Πιττακός* coll. I, 74 seq., *Περίανδρος*, *Πλάτων* al. Probatur praeterea inde, quod non verbo tenus fontem exscripsit, id quod exempli gratia Suidas v. *Ἱππόβοτος* fecit coll. Prooem. 19. Laertium ab Hesychio compilatum esse praefracte negavit Wilamowitz apud Maass. Biogr. p. 148, de cuius iudicio, cum argumento, ut solet, vel nullo, vel ficticio utatur, uberius disputare absonum est.[1]) Ceterum hanc quaestionem de Hesychii et Diogenis necessitudine ab aliis denuo retractatum iri spero.

At saepius uberius aliquod Laertio opusculum usurpavit, communem ipsius et Laertii fontem, quo *περὶ ὁμωνύμων* agi primus sagacissime perspexit F. Nietzsche, Mus. Rhen. XXIV p. 227[2]), sed nimis audacter quaestionem hoc modo solvere

1) Temere enim laudat vitam Xenocratis ab Hesychio melius servatam quam a Laertio, quod quam absurde disputatum sit, videant lectores: vitas enim non inspexisse videtur vir doctissimus.

2) Diogenem Laertium olim locupletiorem fuisse suspicatus sum Unters. p. 50 seq., quod etiamsi idem iudicat vir doctissimus Valentinus

conatus est: 'Demetrius Magnes[1]) est ille unus fons, a quo Hesychius doctrinam suam hausit, Demetrii Magnetis color faciesque ex Hesychio tanquam a palimpsesta enitescit'. Nietzsche igitur comparatis Laertii locis certissima uberioris *περὶ ὁμωνύμων* libri vestigia i. e. Demetrii Magnetis, Ciceronis aequalis, in hisce vitis indagasse sibi visus est: *Ἀρίστιππος, Ἀρχύτας, Ἐπιμενίδης, Ἡράκλειτος, Θεανώ, Θεόφραστος, Ξενοκράτης, Πολέμων, Στράτων; Ἀναξίμανδρος, Ἀννίκερις*[2]), *Ἀριστοτέλης, Δημόκριτος, Ἡρακλείδης, Θεανώ, Πυθαγόρας, Σωκράτης; Ἀντισθένης, Δημόκριτος, Θεόφραστος, Κράτης; Ἀννίκερις, Ἀρχέλαος, Ἀριστοτέλης* (i. e. in vita Menagiana), *Ἐπίκουρος, Ἡρακλείδης, Ἡράκλειτος, Θεόδωρος, Πλάτων*[3]), *Πυθαγόρας, Πύρρων, Σωκράτης, Φερεκύδης*, quibus de parentibus, cognatis, cognominibus et praeceptoribus copiosius disputatur. Deinde in aliis, quibus de philosophorum scriptis agitur: *Ἀναξίμανδρος, Αἰσχίνης, Ἀνάχαρσις, Ἀντισθένης, Δημόκριτος, Ἐμπεδοκλῆς, Ἐπιμενίδης, Εὔδοξος, Ζήνων, Θαλῆς, Κέβης, Περίανδρος, Πιττακός, Πολέμων, Πυθαγόρας, Σόλων, Τηλαύγης, Φαίδων, Φερεκύδης, Φιλίσκος.* Denique in quibusdam aliis, quibus de morte vel patria agitur. Nec vero improbabiliter idem inter Demetrii Magnetis fontes habuit Aristippi *περὶ παλαιᾶς τρυφῆς* librum[4]), ex quo multa eius generis, velut v. *Θεόφραστος* (coll. Laert. V, 39) fluxerunt, cuius operis frustula in vitis Hesychianis frequenter inveniri nemo nescit (cf. *Ἀριστοτέλης, Ἡσίοδος, Σωκράτης* al.), Alexandrique Polyhistoris historias (cf. *Χρύσιππος* coll. Laert. VII, 179, *Σωκράτης* coll. Laert. II, 18, *Πυθαγόρας*), aliosque

---

Rose in apparatu vitae Menagianae, a veritate abhorrere nunc persuasum habeo, quamvis non adductus argumentis Maassii, Biogr. p. 114 seq., qui omnia confudit, mea verba omnino non intellegens neque examinans, sed usquequaque Wilamowitzii thesin absurdissimam, quam praeterito anno vulgavit, plenius Suidae exemplar, iactans.

1) Demetrii fragmenta, quamvis hodie plura accedere opus sit, diligentissime collegit Scheuerleer, Lugd. Bat. 1858.

2) Hanc vitam Hesychii esse in praefatione negavi.

3) At in hac vita, quemadmodum in aliis (potissimum v. *Ἀριστοτέλης* et *Σωκράτης*), quae apud Laertium desiderantur, ex Porphyrii historia philosophica ea manasse veri simile est.

4) De Aristippo cf. Zeller, Gesch. gr. Ph. III, 1 p. 498 not. et v. Wilamowitz, Antig. v. Kar. p. 48.

multos, qui in Laertii vitis laudantur. Atque thesin suam p. 228 sic intellegendam monuit, ut Demetrii thesauros per Argesiphontis[1]) (quem Suidas laudat v. Ἀπολλώνιος ἕτερος Τυανεύς) librum περὶ ὁμωνύμων in Hesychium migrasse, per Dioclis βίοι φιλοσόφων in Laertium Diogenem censeret. Nietzschii autem sententia plane confirmata videbatur dissertatione Volkmanni, Quaest. Nov. (Numb. 1873), qui aliis adminiculis innisus, i. e. quibusdam coniungendi formulis certissima libri alicuius περὶ ὁμωνύμων vestigia invenisse sibi visus est. Sunt autem haece: καὶ αὐτός ab Hesychio usurpatum v. Ἀστυδάμας, Διογενειανός, Διονύσιος Κορ., Διόδωρος, Ἐπίνικος, Ἱπποκράτης, Μελανιππίδης, Μουσαῖος Ἐφ., Νικόμαχος, Ὀρφεύς, Πίνδαρος, Πρόκλος, Σαπφώ, Τιμοκλῆς, Τιμοκρέων, Τίμων, Τυραννίων, Φιλήμων, Φιλιππίδης[2]); καὶ ἕτερος v. Ἀλκμάν, Ἀντίμαχος, Λίνος; νεώτερος v. Σωρανός, Παναίτιος, Μαρσύας, Κάδμος, Ἔφορος, Ἀχαιός, sim. v. Δίδυμος, Εὐριπίδης, Θεοδέκτης, Καλλίμαχος, Κόριννα, Σιμωνίδης, Σοφοκλῆς, Φερεκύδης al. Idem post Demetrium etiam alios, velut Phavorinum, Didymum[3]), Ptolemaeum Hephaestionis hoc modo biographicos tractasse putavit, Dioclem a Nietzschio iniuria suppositum expunxit.

At etiam Volkmann praeiudicata fere opinione abreptus nimis confidenter rem tractavit, cum primum Suidam quoque in nonnullis vitis commenticiis talia finxisse constet[4]), deinde etiam Hieronymum de viris ill. v. Iustus Tib. (c. 14) et v. Modestus (c. 32) verba *et ipse* (Sophron. καὶ αὐτός) usurpasse notum sit, quamquam liber eius ordinem librorum περὶ ὁμωνύμων non sequitur (cf. quae dixi Annal. phil. 1880 p. 822 not.). Nihilominus autem de libro περὶ ὁμωνύμων, fonte Hesychii, dubitari nequit, potest quidem de Demetrii

1) Nomen corruptum esse constat: Ἀργεσφῶν libri, Ἀργεσιφῶν O. Schneider apud Nietzschium l. c. et C. Keil ap. Volkmann. p. X not., Ἀγεσιφῶν Rohde, Mus. Rhen. XXXIV p. 621 not.; nomina confudit Maass, Biogr. p. 54 not.

2) Addas Eud. p. 443 Κόριννα ἑτέρα — καὶ αὐτή.

3) Sed Didymum eorum tantum nonnullos composuisse, qui apud scaenicos graecos occurrerent, Ptolemaeum ementitum esse Homericorum heroum cognominatos (cf. Phot. cod. 190), recte monuit Maass, Biogr. p. 54 not.

4) Quaestionem perturbavit Maass, Biogr. p. 121.

Magnetis libro, quamquam satis confidenter de hac quaestione disputavit Daub, Stud. p. 145. Rem perspexit Diels, Mus. Rhen. XXXI p. 30 not., qui coll. Diog. IX, 41 (*Δημόκ.*) ex temporis ratione non ipsum Demetrium Diogeni Laertio Hesychioque vitas administrasse vidit, sed epitomatorem posteriorem vel auctorem aliquem, qui Demetrium compilaverat.[1]) Quod eo libentius Dielsio crediderim, cum unum Suidae locum, quo Demetrium Magnetem *ἐν τοῦ περὶ ὁμωνύμων ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων* (cf. Diog. V, 3) laudari olim putavi, v. *Ἰσαῖος*, nunc potius, quamvis adversante Daubio, Stud. p. 147, ad Harpocrationem, ipsius Suidae fontem, quam ad Hesychium referre malim.[2]) Utcunque autem res se habet, num Isaei vita Suidana ab Hesychio profecta sit, certe dubium est. Itaque de Argesiphonte (vel eo potius qui hoc nomine vitioso utitur) rectius cogitare necesse est, quem multis annis post Demetrium, fortasse Hadriano imperante, vixisse conicias.

De Damascio, altero philosophorum fonte, dixi Unters. p. 60 coll. v. *Γέσιος*, *Δομνῖνος*[3]), *Δῶρος*, *Ἐπίκτητος*, *Εὐοδιανός*, *Ἰσίδωρος*, *Σεβῆρος* al. Cuius de Isidori vita librum, cum etiam Suidas accurate noverit, saepius eum, postquam enarravit vitam Hesychianam, amplius compilasse supra docui.

Praeter Diogenem (fontemque Diogenis) et Damascium nonnunquam etiam Porphyrii *φιλόσοφον ἱστορίαν*[4]) Hesychius adscivit, quem usque ad Platonis aetatem philosophos tractasse tradit Eunap. Vit. Soph. I p. 3 Boiss., quibus etiam Platonis discipulos et successores eum addidisse ex v.

---

1) Cf. etiam Maass, Biogr. p. 36 et v. Wilamowitz, Antigon. von Kar. p. 104 not. 3, p. 241 et p. 329 seq.

2) Adde, quod Demetrium Phalerea hic intellegi putavit Westermann, nec minus Biogr. p. 285, 45, quod vel Biogr. p. 266, 34 not. confirmari videbatur. Atque Westermanno adstipulari videtur criticus in Phil. Anz. VII p. 124. Ceterum eundem intellegas in Dionys. Hal. vita Isaei p. 260, 3 West. *ὡς δ' ἕτεροι γράφουσι Χαλκιδεύς*.

3) De vitis Gesii et Domnini cf. quae in altero Prolegomenon capite de Eudociae Violario dixi.

4) De titulo *φιλόσοφος ἱστορία* (non *περὶ φιλοσόφου ἱστορίας*) cf. Diels, Doxogr. p. 258. Certe non diversa est ab eiusdem libro *φιλόσοφος χρονολογία*, quam laudat Malala p. 56, 10.

Πλάτων et *Σωκράτης* concludi potest. Illum quidem laudavit v. *Ἀμμώνιος*, *Γοργίας*, *Ἐμπεδοκλῆς*, *Ἡσίοδος*, *Ὅμηρος*, *Σωκράτης*, *Φερεκύδης Ἀθηναῖος*.[1]) Plures eius reliquias collegit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 171 not. et 205 not. coll. v. *Πυθαγόρας*, *Πύρρων*, *Ἑκαταῖος Μιλ.* al. Nonnunquam Suidam vel lectorem plura etiam ex Porphyrio Hesychii vitae adiunxisse dixi Mus. Rhen. XXXV p. 197 seq. coll. v. *Ὅμηρος* et *Σωκράτης*. Porphyrio fortasse debentur, quae apud Laertium Diogenem nonnunquam desiderari constat, velut v. *Πλάτων* successorum index nobis servatus, et de coelibari eius vita narratiuncula. Denique etiam in vita Aristotelis Menagiana, successorum stemma et alterum librorum indicem, qui Laertianum statim excipit, *περὶ τῶν Σόλωνος ἀξόνων* — exit., ex Porphyrio partim libros a Laertio enumeratos mutatis verbis describente fluxisse suspicor. Porphyrius enim quin de omnibus Platonis discipulis verba fecerit nullus dubito, nec minus prolixe eum de scriptis disputasse ex vit Plotin. c. 24 seq. colligi potest. Valentinum autem Roseum, qui appendicem Hesychianam alterum indicem dixit, errasse supra exposui.

Ex minorum philosophorum numero adhibuisse videtur Aristoclis decem *περὶ φιλοσοφίας* libros[2]), quem laudavit v. *Σωτάδας*. Cuius plures reliquias cum ab Eusebio, Praep. Ev. XIV, 17 seq. XV, 2 et 14 seq. servatas esse constet (cf. Müller, fr. hist. IV p. 329 not.), haec in Hesychii vitis fragmenta inesse iudico: *Τίμων* et *Πύρρων* coll. XIV, 18 (III p. 505 Gaisf.), *Ἑρμίας* et *Ἀριστοτέλης* coll. XV, 2 (IV p. 11 seq.), *Πρωταγόρας* coll. XIV, 19 (III p. 511 seq.), nec dubito, quin plura adhuc in vitis lateant. Rem tetigerunt etiam Daub, Stud. p. 144 seq., Robbe, Arist. vit. Marciana p. 31, qui in ipsa vitae recensione p. 3, 8 *Ἀριστόξενος — καὶ Ἀριστοκλῆς*

1) Ridicule Maass. l. c. p. 119 not. 123 non ab Hesychio sed a Suida compilatum esse Porphyrium profitetur, quamquam verum iam dixi Mus. Rhen. XXXV l. c. — Idem de Porphyrio v. *Ἡσίοδος* hariolatus est p. 132 not. — Omisi gl. *Ἀμέλιος*, quam ipsum Suidam neglegentius ex Porphyrii vit. Plot. 2 hausisse vidit Meursius. Num *Ammonii* vita ex historia philosophica fluxerit, dubitat Daub, Stud. p. 146. Sed in eodem libro, fortasse in praefatione, ab eo laudatum esse Plutarchum Chaeronensem (sic corrigas pro *Χερονήσιον*) docet Malala l. c.

2) De iis cf. v. Wilamowitz, Antig. v. Kar. p. 35 seq.

pro *Ἀρ.* — *καὶ Ἀριστείδης* cod. Ven. (cf. etiam p. 5, 15), corrigere vult, adversante Maass., Biogr. p. 82 not.

In grammaticis, qui ante Augusti aetatem floruerunt, § 3
Asclepiadis Myrleani *γραμματικῶν* libros, quos accurate laudat v. *Ὀρφεύς Κροτ.* (cf. v. *Πολέμων*), praecipuum fontem fuisse postquam primus vidit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 167 not. 3, prolixius examinavit Daub, de Suid. p. 457 seq. coll. etiam vit. Arat. p. 52, 5 Westerm. (*Ἀσκ. ὁ Μ. ἐν τῷ ια' περὶ γρ. Θαρσέα φησὶν αὐτὸν γεγονέναι*), qui horum virorum vitas vel vitarum partes ad Asclepiadis libros rettulit: *Ἀρίσταρχος, Ἀριστοφάνης Βυζάντιος, Ἐρατοσθένης, Ζηνόδοτος Ἐφέσιος, Καλλίμαχος, Πτολεμαῖος ὁ Ἐπιθέτης, Πτολεμαῖος Πινδαρίων, Κράτης Μαλλώτης, Ἀλέξανδρος Μιλήσιος, Ἀμμώνιος, Ἀπολλόδωρος, Ἀσκληπιάδης Μυρλεανός, Ἀλέξανδρος Αἰτωλός,* (exceptis verbis *οὗτος* seq.), *Δαφίδας, Δημήτριος Ἰξίων, Δίδυμος, Δικαίαρχος Λακεδ., Διονύσιος Θρᾷξ, Ἑκαταῖος Ἀβδ., Εὐφορίων, Ζηνόδοτος, Λυγκεύς, Μαρσύας, Μόσχος, Νίκανδρος, Ῥιανός, Σωσίβιος, Τρύφων, Τυραννίων πρεσβ.* Qua in re pauca mihi monere liceat. Nempe cum grammaticorum vitae Augusti aetate non terminentur, sed paucae etiam recentiorum descriptae sint (cf. *Ἄβρων, Τυραννίων νεώτ., Ἐπαφρόδιτος, Ἀπολλ. Δύσκολος, Ἡρωδιανός, Νικάνωρ* etc.) deinde autem Asclepiadis Myrleani ipsius vita descripta sit, quam nec ipsum tradidisse probabile est (nec Hesychii quidem vitam ab ipso profectam esse dixi), Asclepiadis librum mox ab aliis auctum esse suspicor, qui quae in illo propter temporis rationem extare nequirent, ultro adscripserunt. Ceterum eadem quoque de causa vel Tyrannionis maioris vitam ab Asclepiade non describi potuisse opinor; quamquam eam quaestionem tantum stringere in animo est. Asclepiadis denique doctrinam a Philone Byblio suppeditatam esse Hesychio non probavit Daub, Stud. p. 147.

Fortasse etiam alterum Asclepiadis librum in Hesychii fontibus collocandum suspiceris. Laudatur enim in vita Asclepiadis liber *φιλοσόφων βιβλίων διορθωτικά*, quo de delectu librorum philosophicorum disputatum fuisse perspexit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 174 not., ut tanquam supplementum ad *πίνακας Περγαμηνούς* laudatos a Dionysio Halicarnassensi

et Athenaeo esset, quemadmodum Aristophanis Byzantii ad Callimachi tabulas. At rem in medio relinquam.

§ 4 Inter praecipuos Hesychii fontes numerandus est Philonis Byblii περὶ πόλεων liber, id quod ex v. Ἡρωδιανός iam concluserant Schneider, Callim. II p. 31 et Wachsmuth, Symb. p. 145. Accuratissime de eo egit Rohde, Mus. Rhen. XXXIV p. 561 seq., qui et gl. Φιλιστίων allegavit et Steph. Byzantii locos de patria auctorum et poetarum cum industria collegit, caute etiam de Sereno cogitans (p. 562 not. 1), quem Philonis librum in brevius coegisse ex Suid. v. Σερ. et Etym. M. v. Βουκέρας et Ἀρσινόη certiores facti sumus. Indicem vitarum confecit Daub, de Suid. p. 441, qui ad Philonis de urbibus librum rettulit v. Δημόκριτος, Πρωταγόρας, Στράβων, Σιμωνίδης, Διοσκορίδης, Τέρπανδρος, Πτολεμαῖος ὁ Ἀσκ., Ἡσίοδος, Ῥιανός, Ἐπίκουρος, Σίβυλλα, Θεόφραστος, Χοιρίλος, Ὅμηρος, Πείσανδρος Πεισ., Ποσείδιππος, Ὅμηρος, Ἐπίχαρμος, Ἔφορος, Πίνδαρος, Ἐρατοσθένης, Ἱπποκράτης, Ἐρασίστρατος, Στησίχορος, Πολύβιος, Θέογνις Μεγ., Ἀρίων, Διαγόρας, Θαλῆς, Ἀσκληπιάδης, Παρθένιος, Ἀρριανός, Ἀριστοτέλης, Ἀριστόξενος, Ῥίνθων, Ἤριννα, Θεοδέκτης. Ab Philonis doctrina segregavit Σκύλαξ (coll. Steph. v. Καρύανδα), Βακχυλίδης, Σιμωνίδης (coll. Steph. v. Ἰουλίς), Ἐρασίστρατος (coll. v. Ἰουλίς), in quibus Straboni Geographica deberi vidit Niese, de Steph. Byz. p. 29, quamquam eadem Philonis non esse probari nequit.

Sed Hesychio quot praesto fuerint subsidia, inde certe disci potest, quod de patria scriptorum disputans non uno contentus fuisse fonte, sed plures adscivisse videtur. Res constat de Callistrati, Isocratis successoris, περὶ Ἡρακλείας libro, quem laudavit v. Ἰσοκράτης et Φιλόξενος (utrumque fragmentum silentio praetermisit Müller IV p. 353)[1], fortasse etiam adhibuit v. Θεαίτητος, Ἡρακλείδης et Ἡρ. Ποντικός, Νύμφις, Πολέμων Λαοδ. al., in quibus de patria Heraclea agitur. De eadem urbe eiusque viris illustribus scripsit etiam Timagenes teste Hesychio (Müller III p. 317), quod opuscu-

1) Hermippum Berytium haec Hesychio suppeditasse putat — at non probat — Daub, Stud. p. 149.

lum num Hesychio praesto fuerit, dubium. Ambigitur autem de Lysimacho[1]), quem laudat Eudocia v. *Διογενιανός*, quamquam et ipse de Heraclea Pontica disputasse videtur. Hoc vel iis dictum esse volo, qui ad unum fontem omnem Hesychii doctrinam redigere tendant.

Attamen caveas, ne omnia, quae de patria auctorum a Biographis Graecis narrantur, ad eos quos enumeravi fontes referas, nam exempli gratia etiam Asclepiadem Myrleanum in libro *περὶ γραμματικῶν* interdum de patria fusius disputasse probatur vita Arati ed. Westerm. p. 52, 5. Quamobrem Daub, de Suid. p. 459 Hesychium alterum de Arati patria fontem (Philonem Byblium?) adhibuisse merito conclusit.[2]) At in aliis forsan vitis eiusdem Asclepiadis doctrinam aliquando in lucem prodituram esse opinor.

Hermippi Berytii, Philonis aequalis et discipuli, *περὶ τῶν ἐν παιδείᾳ διαλαμψάντων δούλων* liber ab Hesychio laudatur v. *Ἄβρων*, *Ἴστρος*, *Παρθένιος*, ab Etym. M. p. 118, 14 v. *Ἀπάμεια*, quem locum corr. Hemsterhusius, qua de urbe Hesychium in vita Parthenii disputasse constat (cf. Annal. phil. 1880 p. 831 not.).[3]) Luculentius autem, quam aliorum auctorum Hermippi vestigia in vitis Hesychianis enitescunt, quo quidem fit, ut quotquot sunt fragmenta eius in vitis enucleare possimus. Quod officium diligenter perfecit Wachsmuth, Symb. Bonn. p. 139 seq.[4]), has glossas enumerans: § 5
Ἄβρων, *Αἰσχίνης*, *Αἴσωπος Σάμιος*, *Ἀλέξανδρος ὁ Μιλήσιος*, *Ἀλκμάν*, *Ἀντίμαχος*, *Ἀντιφάνης*, *Ἀπίων*, *Ἀριστογένης*, *Ἀριστοφάνης*, *Διαγόρας*, *Ἐπαφρόδιτος*, *Ἐπίκτητος*, *Ἑρμίας*, *Θεόδωρος*, *Ἰάμβλιχος*, *Ἴστρος*, *Καικίλιος*, *Μεσομήδης*, *Μεταγένης*, *Παρθένιος*, *Περσαῖος*, *Ῥιανός*, *Σιβύρτιος*, *Τιμαγένης*, *Τυραννίωνες* duo, *Φαίδων*, *Φιλόξενος*, *Φλέγων*, *Φόρμος*, *Χοιρίλος Σάμιος*. Expunxi ex indice gl. *Αἴσωπος ἀναγώστης* ex Ptole-

1) Cod. *κατὰ Λυσίμαχον*, cuius loco conicias *κατὰ Σύμμαχον* vel *κατὰ Λυσανίαν* al. Nisi a litterarum forma nimis recedit, *κατὰ Καλλίστρατον* scriptum fuisse suspicer, cum de Heraclea Pontica agatur.

2) Timonis Phliasii totam vitam de Philone Byblio pendere suspicatus est Wilamowitz, Antigon. von Kar. p. 31 not. Quod nec refelli nec probari potest.

3) Magnopere igitur erravit Müller III p. 51 al.

4) Cf. etiam Steffen, de canone Al. p. 7 not.

maei Hephaestionis historiis compilatam, Διογένης Ἱκεσ. ex Diog. Laert. VI, 74 seq., Φρῦνις ex schol. Ar. Nub. 967.

§ 6 Moneo etiam, id quod omnes fugit, vitas pictorum Ἀπελλῆς, Πάμφιλος, Πρωτογένης ex libro περὶ ὁμωνύμων, fortasse Argesphontis vel eius, qui hoc nomine gloriatur, Hesychio suppeditatas esse. Maassii (Biogr. p. 24 seq.) enim nugas illustravit Rohde, Centralb. 1880 Sp. 1743.

§ 7 Praecipuum Hesychii fontem in tractandis poetarum vitis, nempe lyricorum, tragicorum, comicorum, epicorum, fuisse Dionysii Halicarnassensis historiam musicam, vel potius eius epitomen, eamque intellegi v. Ὀρφεύς[1]), Ἀντιφάνης, Παμφίλη, Σωτηρίδας (ubi tamen Suidana extat vita, non Hesychiana), primus vidit Schneider l. c. p. 29 seq. evidenterque demonstravit, nec minus ordinem alphabeticum in conficienda librorum tabula observatum sagacissime observavit, de quo paulo ante etiam Volkmann, de Suid. biogr. p. 29 (Bonn. 1861) monuerat. Quod Dionysii opus amplissimum a Rufo[2]) quodam in brevius coactum fuisse, cuius ex epitome Sopatri eclogarum liber sextus fluxerit, docet Phot. bibl. p. 103.

Post Schneideri disputationem Dionysii studium prorsus fere explanaverunt Wachsmuth, Symbol. p. 146 seq. et Daub, de Suid. p. 410 seq., quorum uterque Callimachi πίνακας omninoque bibliothecarum catalogos primarios Dionysii fontes fuisse evicit. Atque in tragicorum vitis fragmenta historiae musicae conspicua sunt: v. Διογένης, Κλεοφῶν, Λυκόφρων, Φιλοκλῆς, Σπίνθαρος, Ἀπολλόδωρος, Νικόμαχος, Τιμησίθεος, Φρύνιχος, in comicorum: v. Χιωνίδης, Κράτης, Εὔπολις, Πλάτων, Λεύκων, Κηφισόδωρος, Φόρμος, Φρύνιχος, Καλλίας, Στράττις, Νικοχάρης, Νικοφῶν, Φιλωνίδης, Φιλύλλιος, Σαννυρίων, Φιλίσκος, in epicorum: v. Νίκανδρος, Εὐφορίων, Εὔμολπος, Ἡσίοδος, Πανύασις, Ἤριννα, Χοιρίλος, Ὀρφεύς, Μουσαῖος Ἐφ., Ἀρριανός, Ἀριστέας. Praeterea autem etiam Sibyllarum indicem Suidanum, de quo dubitanter egit Maass, de Sib. p. 54,

---

1) De Daubii sententia dixi ad v. Ὀρφεύς. Cf. eiusdem Studien p. 148.

2) Rufum, Dionysii epitomatorem, potius fontem Hesychii esse contendit etiam Wilamowitz, Antigon. von Kar. p. 328 not. 12, qui tamen alios iam antea idem iudicasse nescire videtur.

merito, ut opinor, ad Dionysii historiam musicam reiecit Daub p. 417 seq. coll. Phot. l. c. (cf. Egenolff, Jahresb. 1879 I p. 192). Neque in lyricorum vitis desunt certa quaedam argumenta, quibus eas ex Dionysii opere fluxisse probatur, dico v. *Πίνδαρος*, *Θέογνις*, *Μίμνερμος*, *Παρθένιος*, *Σαπφώ*, *Φιλόξενος*, *Ανακρέων*, *Κόριννα*, *'Αλκμάν*, inprimis autem v. *Καλλίμαχος*, cuius vita ansam ad totam quaestionem instituendam Schneidero dedit.

Sed in comicorum vitis, potissimum ad enumerandas fabulas, ex altero quoque promptuario Hesychius doctrinam suam hausisse putandus est, ex Athenaeo. Nam praeterquam quod saepissime liber eius in comicorum vitis laudatur (locos collegi Mus. Rhen. XXXV p. 200), non modo multos titulos de eo pendere post expositionem Volkmanni, de Suid. p. 35 seq. aliorumque vidit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 182 not., sed etiam fabularum tabulas saepissime ex eo manasse patet ex v. *Σέλευκος 'Εμισ.* et *Νικόστρατος κωμ.*, si cum Rohdeo l. c. utroque loco emendamus *παρ' 'Αθηναίῳ* pro *ἐν παραθήκῃ* (*ταῦτα παρ' 'Αθηναίῳ εὗρον κείμενα*), quod quidem haud absonum fuerit.[1] Inde autem quaestio difficillima oritur, quod Suidas quoque Athenaeum accuratius perlegit saepiusque ex suo ingenio Athenaei quibusdam locis vitas Hesychianas inquinavit. Itaque rectissime Daub, de Suid. p. 482 seq., quod iteravit Stud. p. 138 seq., inter Hesychii et Suidae articulos vel articulorum additamenta distinguendum esse iudicavit.[2] Ac primum quidem recte perspexit omnium locorum, quibus Athenaeus ipse laudetur, indolem eam esse, ut praeter nomen poetae nil nisi tituli aliquot enumerentur. Deinde autem, id quod gravissimum videtur argumentum esse, eodem ordine enumeratas esse fabulas, quo fortuito apud Athenaeum laudentur. Quae si recte observata sunt, permagnam vitarum comicorum partem ex Hesychii thesauris non fluxisse recte suspiceris. Attamen, cum de nonnullis vitis merito possit ambigi, omnes, ut decet, in editionem meam recepi; quaestionem enim incohavit Daub, non absolvit.

---

1) Secus de his locis iudicat Volkmann, Quaest. nov. XI not. 19.

2) Eiusmodi additamenta in Violario omnino non inveniri, observavit etiam Volkmann.

§ 8 Praeter Dionysii Halicarnassensis Chronica[1]), quae Hesychius laudat gl. *Εὐριπίδης*[2]), in v. *Σιμωνίδης Ἀμ.* adhibita esse suspicatus est Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 198 (cf. Volkmann, Quaest. nov. p. XVII), etiam Heliconii libris chronicis Hesychius usus est, quem bis commemoravit v. *Ἀπίων* et *Ἀρριανός*. Saepius autem illud opus adhibitum esse perspexit Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 182 not., qui etiam v. *Ἐπίχαρμος* pro *δὲ Λύκων* corrigendum monuit *δ' Ἑλικώνιος* (cf. Unters. p. 58)[3]), accuratius exposuit Daub, de Suid. p. 468 seq., qui quindecim fere vitas aetatis posthadrianeae ex illis Chronicis desumptas esse docuit. Nec non ad chronologiam in manibus habuit Olympiadas Phlegontis Tralliani, Eusebii fontem, quas laudat v. *Θαλῆς*, qua de glossa cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 211. Quem locum cur prorsus neglexerint Müller in historicorum fragmentis et qui nuperrime fragmenta Phlegontis collegit, Otto Keller, non magis intellego, quam quod Daub, Stud. p. 151 not. dubitantius de eo disputaverit. Eugenatoris autem opusculum, quod laudatur v. *Φιλάγριος*, num et ipsum ad Chronicorum rationem compositum fuerit, dubium est, cum altera de eo notitia

---

1) Quanam ratione in Chronicis scriptorum mentio iniecta fuerit, discas ex innumeris Chronicorum libris, velut Syncell. 665, 14 *Ὀππιανὸς ἁλιευτικῶν ἤκμασε Κίλιξ τῷ γένει* (sc. M. Aurelio regnante) = Euseb. ed. Schöne II p. 172, Malala p. 79, 19 *ἐν ἐκείνοις δὲ τοῖς χρόνοις ἦν παρ' Ἕλλησι μάντις ἄλλη, Σίβυλλα ἡ Ἐρυθραία*, ib. 263, 18 *ἦν δὲ τοῖς χρόνοις — ὁ σοφώτατος Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεύς*, Sync. 368, 4 *Ἡσίοδός τε ἐγνωρίζετο, ὃν Ἔφορος ἀνεψιὸν καὶ σύγχρονον Ὁμήρου φασί*, Sync. 400, 13 *Ἀρκτῖνος Μιλήσιος ἐποποιός* = Euseb. II p. 78, Sync. 402, 16 *Θαλῆς Ἐξαμύου — φιλόσοφος* = Euseb. II p. 80, Sync. 402, 1 *ἔτι Σίβυλλα Σαμία — ἣ καὶ Ἡροφίλα ἐγνωρίζετο* = Euseb. II p. 84, Sync. 403, 14 *Ἀλκμὰν κατά τινας ἐγνωρίζετο*, Sync. 484, 6 *Κράτης ὁ κωμικὸς καὶ Τελέσιλλα καὶ Πραξίλλα καὶ Κλεοβουλίνη* etc., unde in vitis Hesychianis plerasque de aetate auctorum animadversiones ex libris chronicis fluxisse suspicari nobis licet.

2) *Διον. ἐν τοῖς κριτικοῖς* tentavit Volkmann, innisus lectione Diog. I, 38, alia molitur Daub, de Suid. p. 472, not. 58, merito impugnatus uterque a Rohdeo, Mus. Rhen. XXXVI p. 530 not.

3) Cogitari autem potest de Lycone Pythagorico, quem de nonnullis Pythagoreis disputasse suspiceris. Quem laudant Diog. V, 69 et Euseb. Praep. Evang. XV, 2 (IV p. 11 Gaisf.). — De Lycone Iasensi cogitat Daub, Annal. phil. 1881 p. 265 coll. Athen. X p. 418, quode cf. etiam Rohde, Gr. Roman p. 257 not. 1, Diels, Doxogr. p. 151.

non exstet.[1]) Nec minus dubium, num Eustathii Epiphaniensis Chronicis (quibus res ab Aenea gestae usque ad Anastasium imperatorem continebantur) Hesychius usus sit, quae paulo post Malalae saepius praesto fuerunt, quoniam ex fragmentis ab Müller. IV p. 138 seq. collectis de hac re nihil edocemur.

De aliis fontibus, postquam viam muniverunt Schneider et Wachsmuth, disputavit Daub, de Suid. p. 431 seq., qui duodecim Philonis libros *περὶ κτήσεως βιβλίων* in quadraginta fere vitis auctorum primi saeculi p. Ch. adhibitos esse suspicatus est. Praeterea autem de altero quoque eiusdem aetatis fonte cogitavit, de Hermippi Berytii *περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν* opere, cuius libro quinto agi affirmavit *περὶ ἐνδόξων ἰατρῶν*. Quorum neutrum recte se habere neque idoneis argumentis probari posse dixi Annal. phil. 1880 p. 829 seq. Nec minus Telephi, Hadriani aequalis, *βιβλιακὴ ἐμπειρία*, Damophili *φιλόβιβλος*, Sorani iunioris *βίοι ἰατρῶν* tanquàm Hesychii fontes reïciendos esse docui, quippe qui nullo vitarum loco ab Hesychio laudentur. Deinde idem de Suid. p. 468 ex gl. *Ἀριστείδης*, *Ἀδριανός*, *Ἀσπάσιος*, *Ἡρώδης* al. librum quod *ἐπιδευτέρους ῥήτορας κατὰ χρόνους* comprehenderet, ab Hesychio in vitis rhetorum posthadrianeae aetatis compilatum esse suspicatus est, sed, si me audis, vix probabiliter. Librum autem *περὶ εὑρημάτων*, cuius pars fluxerit ex tribus Aristotelis libris *περὶ ποιητικῆς* vel ex didascaliis eius, ab Hesychio (vel Suida) in enarrandis poetarum vitis excerptum esse non probavit Volkmann, de Suid. p. 20 not. Neque denique operae pretium est refutare ea, quae Maass, Biogr. p. 120 seq. de Phavorini historia omnigena hallucinatus erat; inepta enim esse inter omnes iam constat. § 9

Pauca etiam de Sophronio, i. e. graeca Hieronymi de viris illustribus versione, monenda sunt, quae iam vulgavi Mus. Rhen. XXXVI p. 624 seq. In Suidae lexico haece extant Hieronymi vitae: 1) Basilii Ancyrani (c. 89)[2]), 2) Da- § 10

1) Vix probabiliter Daub, Stud. p. 145 seq. unam Philagrii vitam Eugenatori deberi suspicatus est. Ceterum cf. Suid. v. *Εὐγενάτορος*.

2) Contuli Hieronymi editionem, quam curavit Herding (Lipsiae

masi (c. 103), 3) Epiphanii (c. 114), 4) Eusebii Pamphili (c. 81), 5) Theodori sive Gregorii (c. 65), 6) Iusti Tiberiensis (c. 14), 7) Iustini philosophi (c. 23), 8) Iosephi Iudaei (c. 13), 9) Methodii (c. 83), 10) Philonis Iudaei (c. 11), 11) Polycarpi (c. 17; *οὗτος διά τινος* seq.), 12) Origenis (c. 54; *τοσαύτην δὲ ἔσχε — ἔκδοσιν* et *ἔζησε δὲ — ἐτελειώθη*). Suidam eadem versione graeca usum esse, quam primus sub Sophronii nomine edidit Erasmus (Lucubrationes Hieronymi I p. 265 seq. [Bas. 1526]), vel unius vitae Sophronianae cum Suidana comparatione evincitur, ita ut Isaacum Vossium, qui vel ipsum Erasmum vel falsarium eiusdem aetatis graecam Hieronymi versionem confecisse putabat, magnopere errasse manifestum sit (cf. Fabricius, Bibl. eccles. p. 10). Nostra igitur graeca Sophronii versio pariter genuina est atque eae, quas ipse Hieronymus de vir. ill. c. 134 laudat. Nonnullis autem in vitarum locis quoniam Suidae textus cum ipso Hieronymi tractatu magis concinit, quam Sophronii versio, Erasmum suum Sophronii textum ex deteriore aliquo Hieronymi libro, quem in manibus habebat, nonnunquam correxisse putandus est[1]), quemadmodum Hieronymi textum ex graeca versione nonnunquam se mutasse ipse confitetur. Quae res vel eo demonstratur, quod et Sophronii et Suidae textus nonnullis locis uberior est, quam ipsius Hieronymi, qui nobis libris et editionibus traditus est.[2]) Quod autem gravissimum est, in nostro Suidae textu saepius etiam uberiores et meliores lectiones

---

1879), de qua rectissime iudicaverunt *Harnack* in Theol. Litz. 1880 p. 631, *Jungmann,* Annal. phil. 1880 p. 497 seq. et Quaest. Gennad. p. 2 seq. (Lips. 1881).

1) Pauca instar omnium exempla afferam: 1) *Φίλων*. Hieron. *de inventione liber unus,* Suid. *περὶ εὑρήματος α'*, Soph. *περὶ εὑρήματος*. 2) *Ἰοῦστος*. Hieron. *Iustus Tiberiensis* (parum accurate Herding legit *Iustinus*), Suid. *Ἰοῦστος Τιβεριεύς*, Soph. *Ἰοῦστος Τιβεριάδος*. 3) *Ἰουστῖνος*. Hieron. *et alius liber, quem praenotavit Psalten*, Suid. *καὶ ἄλλη, ἣν ὠνόμασε ψάλτην*, Soph. *καὶ ἄλλον ὠνόμασε ψάλτην*. 4) *Θεόδωρος*. Hieron. *Neocaesarea Ponti* (Ponti errore typographico in Herdingi ed. desideratur), Suid. *Νεοκαισαρείας τῆς ἐν τῷ Πόντῳ*, Soph. *Νεοκαισαρείας*.

2) Hoc exemplum enotavi: *Φίλων*. Hieron. sub Caligula, Suid. *ἐπὶ Γαΐου Καλλιγόλᾳ*, Soph. *ἐπὶ Γαΐου Καλλιγόλα*. At sub *Gaio Caligula* praestantissimus Hieronymi codex ab Schoeneo excussns praebet: cf. Herding, praef. p. XV.

apparent, quam in Hieronymo et in Graeca Sophronii versione. Potissima autem eius rei exempla sunt, quod v. *Φίλων Ἰουδαῖος* in Suidae vita legitur *περὶ Ἰουδαίων α'*, in Hieronymi *de Iudaeis*, in Sophronii *περὶ Ἰουδαίων*, paullo post in Suidae vita *περὶ τοῦ Μωυσέως βίου, εἰς τὰ χερουβίμ, τουτέστι τὴν φλογίνην ῥομφαίαν, εἰς τὴν πεντάτευχον Μωυσέως καὶ εἰς αὐτὸν τῶν Μωυσῆν λόγοι ε'*[2]), in Hieronymi eorum loco leguntur: *sunt et alia eius monumenta ingenii, quae in nostras manus non pervenerant*, in Sophronii *εἰσὶ καὶ ἕτερα συγγράμματα, οὔπω εἰς τὰς ἐμὰς χεῖρας ἐλθόντα.* In v. *Ἰώσηπος* autem Suidas praebet *τῆς Ἰουδαϊκῆς ἀρχαιολογίας λόγους*, Hieronymus *Antiquitatum libros*, Sophronius *τῆς ἀρχαιολογίας λόγους*, v. *Ἰουστῖνος* Suidas *τῇ συγκλήτῳ Ῥωμαίων*, Hieron. *senatui*; Soph. *τῇ συγκλήτῳ*, mox in eadem vita Suidas *ἀρχηγοῦ τῶν ἐν Ἐφέσῳ Ἰουδαίων*, Hieron. *principem Iudaeorum*, Soph. *ἀρχηγοῦ τῶν Ἰουδαίων*, v. *Θεόδωρος* Suidas *θαύματα ὑπὲρ ἄνθρωπον*, Hieron. *miracula*, Soph. *θαύματα*, mox Suidas *ἐτελεύτησεν ἐπ' Αὐρηλιανοῦ*, qua de re tacent Hieronymus et Sophronius, v. *Δάμασος* Suidas *ἔγραψε καὶ ἄλλα πολλά*, quae om. Hieron. et Soph., v. *Ἐπιφάνιος* Suidas *Κωνσταντείας τῆς Κύπρου ἐπίσκοπος, τῆς πρότερον Σαλαμίνης*, Hieron. *Cypri Salaminiae episcopus*, Soph. *Κύπρου Σαλαμ. ἐπ.*, v. *Μεθόδιος* Suidas *Λυκίας, ἤτοι Πατάρων*, Hieron. *Lyciae*, Soph. *Λυκίας* al.

Iam ad propositum nostrum transire licebit. Cum enim eiusmodi locis, quos enumeravi, neque ex multo uberiore Sophronio (i. e. etiam Hieronymo) Suidam sua hausisse neque ex ipsius ingenio addidisse probabile sit, duos vitarum fontes adhibitos esse patebit, quod certe a Suidae ratione procul abhorrere quis est qui ignoret? Itaque ex Philonis Iudaei glossa, quis Suidae eiusmodi vitas suppeditarit, nullo opere edocemur. Quam si accuratius examinamus, post verba *λόγοι ε'* vitae ordine compositae et eleganter redactae exitum esse patet (eadem in verba desinit etiam vita ab Eudocia p. 721 seq. descripta), verba *λέγουσι τοῦτον — ὠφέλειαν ἔχοντα* ex eodem Suidam fonte ad verbum adscripsisse, unde reliqua

1) Hac re fortasse Suidas fallitur, quia in Sophronii vita antea legitur *εἰς πέντε λόγους Μωυσέως.*

manasse ei videbantur, i. e. ex Sophronio, quod saepius in vitis ex Damascio, Laertio, Philostrato al. descriptis eum fecisse supra docui. Cuius articulum adeo neglegenter compilavit, ut verba extrema, quae apud Hieronymum-Sophronium tantum ad opera in Moysen spectant (*εἰσὶν οὖν, ὡς προείπομεν* [ubinam Suidas dixit? nam *βιβλία ἄπειρα* tantum dixerat] *περιφανῆ καὶ ἀνάριθμα συντάγματα* = *extant huius praeclara et innumerabila opera in quinque libros Moysi*[1]), ad omnes rettulerit. Unde aliam vitam a Suida additamentis auctam esse suspiceris, neque absonum fuerit, si hic quoque, quemadmodum in trecentis aliis, vitam Hesychianam Suidae praesto fuisse opinabimur. Hesychium autem non unam Sophronii vitam descripsisse sed ex more solito duos fontes simul adhibuisse, hisce argumentis constat. Primum Sophronius (et Hieron.) librorum tabulam a commentariis in Moysen incohat, in quos Hesychiana vita desinit. Deinde libri *περὶ Μωυσέως βίου* et *εἰς τὰ χερουβίμ* apud Sophronium (et Hieron.) omnino desiderantur, nec fluxerunt ex Euseb. Hist. eccl. p. 62 seq. Schweg. Tertium verba extrema Sophronii *ἢ Πλάτων φιλωνίζει ἢ Φίλων πλατωνίζει* ex more suo in initio vitae Hesychius posuit. Quartum prima vitae Hesychianae pars *φιλοσοφήσας δὲ — Πλάτωνι* non extat apud Sophronium (et Hier.). Nec vero in reliquis vitae partibus cum Sophronii textu prorsus conspirat.[2]) Adhibuit igitur Hesychius praeter Sophronii indicem etiam alterum, de quo infra pauca monebo.

---

1) Nisi in Hieronymi vita sic potius interpungendum est: *Extant huius praeclara et innumerabilia opera: in quinque libros Moysi* seq.

2) Suid. *περὶ εὐρ. α'* Soph. *περὶ εὐρ.* (cf. supra), Suid. *τις εὔχεται* Soph. *εὐχόμεθα καὶ ἀπομαρτυρούμεθα*, Suid. *περὶ τῶν τριῶν δυνάμεων*, Soph. *περὶ τρ. δυν.*, Suid. *περὶ ἐναλλαγεισῶν*, Soph. *περὶ ἐναλλ. γραφῶν*, Suid. *βίου φιλοσόφου*, Soph. *βίου φιλοσοφικοῦ*, Suid. *περὶ ὀνείρων*, Soph. *περὶ τοῦ τοὺς ὀνείρους παρὰ θεοῦ πέμπεσθαι*, Suid. *περὶ Ἰουδαίων α'*, Soph. *περὶ Ἰουδαίων* (cf. supra), Suid. *περιέχειν*, Soph. *ὅτι ἔχει*, Suid. *τῶν χριστιανῶν*, Soph. *τῶν ἡμετέρων* (quae mutatio sane insignis est), ad quod Sophronius add. *περὶ οὗ ἔμπροσθεν εἴπομεν, τουτέστι τῶν ἀποστόλων* (sc. c. 8 *ὅθεν καὶ Φίλων ὁ τῶν Ἰουδαίων ἐλλογιμώτατος ὁρῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρώτην ἐκκλησίαν ἔτι Ἰουδαΐζουσαν ὡσανεὶ εἰς ἔπαινον τοῖ οἰκείου ἔθνους βίβλον περὶ τῆς τούτων συναγωγῆς συνεγράψατο*), Suid. *περὶ βίου θεωρητικοῦ, περὶ ἱκετῶν*, Soph. *περὶ βίου θεωρ. ἱκετῶν* (Euseb. p. 63 Schweg. *θεωρ. ἢ ἱκετῶν*), quibus Soph. addit *τουτέστιν, ὅτι τὰ ἐπουράνια ἀτενίζουσι καὶ ἀεὶ εὔχονται τῷ θεῷ.*

Quod si recte nobis demonstratum est, iisdem argumentis alias quoque vitas Hesychianas praeter Philonis ex Sophronii mole enucleare licebit. v. *Πολύκαρπος*, ubi vita Hesychiana desinit in verba *ἄλλας ἐκκλησίας*, *οὗτος* seq. ex Sophron. c. 17 addit Suidas (nam Sophronium subesse viderat ex verbis *ἔγραψεν ἐπιστολὴν πρὸς Φιλιππησίους πάνυ θαυμαστήν*, quamquam sequentia scripta apud Sophron. desunt); v. *Ἀπολινάριος Λαοδικεύς*, quo in articulo exitus Hesychianae in voce *ὑπομνήματα* est, in quo ex Sophronio tantum de uno eius libro (*κατὰ Πορφυρίου τριάκοντα λόγοι*) et de Apol. grammatico notitia deprompta est (*ἐν τῇ νεότητι μᾶλλον τὴν γραμματικὴν ἤσκησεν*); v. *Βασίλειος Καισ.* (usque *εἰς ἄλλους πλείονας*) vel *διέποντος* [extrema verba sic in Sophronio leguntur: *τελευτᾷ βασιλεύοντος Γρατιανοῦ*]), qua in vita ex Sophronio desumpta *καὶ κατ' Εὐνομίου δὲ ἐξαιρέτους συνέταξε λόγους καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος τεῦχος καὶ τὰς εἰς τὴν ἑξαήμερον ὁμιλίας ἐννέα ἕτερον τεῦχος ἀσκητικόν* (Soph. *κατ' Εὐνομίου ἐξαιρέτους συνέταξε λόγους καὶ περὶ πνεύματος ἁγίου τεῦχος καὶ εἰς τὴν ἑξαήμερον ὁμιλίας ἐννέα καὶ ἀσκητικόν*), reliqua vitae ex altero fonte supplens; v. *Γρηγόριος Ναζ.* (usque *μυριάδας τρεῖς*), ubi ex duobus fontibus Hesychium sua descripsisse probatur verbis in initio positis *εἰς γὰρ τρεῖς μυριάδας στίχων τὰ συντάγματα αὐτοῦ συνέθηκεν* atque infra iteratis *ἅτινα συνάγονται εἰς ἐπῶν μυριάδας τρεῖς*, quorum prius ex Sophronio manavit, cum in eodem haec scripta ab Hesychio enarrata desint: *ἐπιτάφιος εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, ἕτερος εἰς τὴν ἀδελφὴν Γοργονίαν, περὶ θεολογίας α', περὶ υἱοῦ λόγοι β', πανηγυρικοὶ λόγοι ι'* et *καὶ ἕτεροι πλεῖστοι καὶ πᾶσι γνώριμοι*[1]); v. *Ἰώσηπος Ἰουδαῖος* (usque ad *βιβλίοις κ'*) in initio vitae verba *φιλαλήθης λέγων — Χριστοῦ*, quae prorsus ab Hesychii ingenio recedunt, a christiano lectore vel ab

---

1) Ceterum Suid. (Hesych.) *ἐπαίνους Ἥρωνος φιλοσόφου*, Soph. *ἐπαίνους Μαξίμου φιλοσόφου μετὰ τὴν ἐξορίαν ἀναζεύξαντος, ὅντινα ψευδῶς τινες Ἥρωνος ἐπέγραψαν. ἔστι γὰρ καὶ ἄλλη βίβλος, κατάγνωσιν τοῦ αὐτοῦ Μαξίμου περιέχουσα, ὡς μὴ ἐξὸν εἶναι, τὸν αὐτὸν ἐπαινέσαι καὶ ψέξαι ἐν καιρῷ.* De Gregorio imitatore Polemonis, Aristidis magistri, prorsus tacet Sophronius.

ipso Suida adscripta. Verba οὗτος seq. certe ex Sophron. c. 13 a Suida compilata.

Aliae quoque vitae, velut Damasi, Dionysii Alexandrini[1]), Eusebii, Gregorii Theodori, Greg. Nyssensis, Iustini philosophi, Iusti Tiberiensis eadem de causa ab Hesychio partim ex Sophronio descriptae videntur esse, quas, cum non satis de ea re constet, in medio relinquam.

Restat, ut quaestionem instituamus, quo ex altero fonte iuxta Sophronium Hesychius sua ad vitas auctorum ecclesiasticorum describendas hauserit. Atque iam Mus. Rhen. XXXV p. 199 seq. Theodori Lectoris, scriptoris clarissimi (cf. Phot. bibl. p. 222), historiam ecclesiasticam, quam laudet Suidas v. Διόδωρος μονάζων (fragmentum extat in ed. Valesii p. 569 seq., Migne, Patrol. LXXXVI, 1 p. 215), fontem Hesychii Milesii in vitis christianorum auctorum[2]), qui post Constantini aetatem vixerunt, fuisse suspicatus sum, quod hac disputatione certius redditum esse confido. Nam cum ex illa vita Hesychiana Theodorum Lectorem in historiam suam accuratissime etiam librorum tabulas derivasse concludas, Hesychium et Sophronii et praeterea Theodori Lectoris indices compilasse per se patebit. Omnibus enim in vitis potissimum duos librorum indices permixtos et confusos esse apparet. Cuiusnam autem generis auctores ecclesiasticos Hesychius in lexico suo non neglegendos esse censuerit, iam in primo Prolegomenon capite exposui.

§ 11 Mirum denique videtur esse, quod etiam nonnullorum Romanorum auctorum vitas Hesychius lexico suo biographico inseruit, quamquam se Graecos tantum esse tractaturum nullo loco praedicavit. Sunt autem Ἀσίνιος Πωλίων (cf. Πωλίων), Αὔγουστος Καῖσαρ, Βάρρων (de quo nil omnino constat, nisi mendum in nomine latet), Βροῦτος, Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ, Γάϊος Καῖσαρ, Εὔοδος Ῥόδιος, Εὐτρόπιος, Καῖσαρ Τιβέριος, Κλαυδιανὸς Ἀλεξανδρεύς, Τράγκυλλος ὁ Σουητώνιος, nam Iuvenalis vitam e Malalae historiis, Cice-

1) De hoc iure dubites coll. Soph. c. 69. — Omnino Hesychium auctores ecclesiasticos tractasse negat Daub, Stud. p. 130.

2) De eodem nunc cf. Sarrazin, de Theodoro Lectore, Theophanis fonte praecipuo, in Comm. phil. Ien. p. 165 seq.

ronis ex Suidana glossa *Φολονία*, Ennii Romani ex Aeliano, Fabii Pictoris ex Polybio fluxisse docui. De his vitis disputavi Mus. Rhen. XXXVI p. 316 seq., quo loco eos auctores Romanos ab Hesychio adhibitos esse exposui, qui vel graece scripserint, velut Claudianus (cf. Rohde, Mus. Rhen. XXXIII p. 167 not.), Suetonius al., vel ab epitomatoribus Graecis in brevius coacti sunt[1]), velut Asinius Pollio, Eutropius al., vel libros graece scriptos latine verterint, velut Iulius Caesar et Brutus. Omiseram autem gl. *Αὐσόνιος*[2]), fortasse glossas *Ἀκύλας.*[3]) Atque si examinamus, quo ex fonte illas vitas Hesychius deprompserit, cum Eutropius recentissimo aevo tribuendus sit, eas aut ex graeca Eutropii versione vel versionis praefatione fluxisse suspiceris, quam curaverit Capito (cf. Suidas s. v.), qui regnante Anastasio vel Iustino primo vixit (cf. Müller fr. hist. IV p. 123), aut ex libris chronicis, quos Hesychius ipse composuit. Rem hoc loco non expediam.

1) De hac re cf. Weber, de latine scriptis, quae Graeci — transtulerunt II (1848) p. 18 seq.

2) In Ausonii vita duos scriptores confusos esse recte monuit Gutschmid.

3) De Aquila cf. Teuffel, Lit. Rom.[3] § 374, 6.

Ad Proleg. p. XXVI *A. Schoene* mihi scripsit: Cod. Par. 2626, membranaceus saec. XII, fol. 291, cuius fol. 1—25 et 278—291 recentiore manu addita sunt nec diversa fortasse ab ea, cui 2625 fol. 260 seq. debentur.

Ad p. 169 v. *Πλάτων* scripsit *E. Rohde*:

Falsa olim specie inductus, Suidae illud: *καὶ ὑπνῶν ἀνεβίω* secundum Laertii narrationem (III § 3) castigandum esse credidi. Ecce iam, qui idem atque Suidas testatur, *Tertullianus*, de anima cap. 52: „etsi (quis spiritum exhalet) per somnium ('somnum' probabiliter Oehlerus), ut Plato". Ex hoc Tertulliani (quod ille fortasse Sorano debet) testimonio, ab eis qui Platonis vitam enarraverunt neglecto, Laertii narrationem alterius auctoris relatione inconsiderate interpolasse Hesychium apparet. Alterum illum auctorem si quis *Porphyrium* fuisse coniecerit, me certe non habebit obloquentem. Haec modo consideres quae excerptionibus Laertianis interposuit aliunde sublecta Hesychius: *οὐδὲ γάμον τινὰ οὐδ' ὁμιλίαν καθάπαξ σώματος εἰς πεῖραν δεξάμενος*: Porphyrii doctrinam asceticam talia redolere facile concedes. Cui num praeter alia quaedam minora, quae a Laertio certe non mutuatus est (*τοῦ ποιητοῦ — μετ' αὐτόν — τὸ στέρνον*) memorabilem quoque illum Platonis successorum, quem ipsi de Platonis fatis narrationi subtexuit, indicem debeat Hesychius, non decerno. Ceterum in indice illo inter *Καρνεάδης* et *Χαρμάδας* plura nomina omisisse librariorum socordiam apparet; fieri enim nequit, ut Charmadas ipsius Carneadis successor habeatur. — l. 16 *η'* pro *κ'* corr. iam *K. F. Hermann.*

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Priores plagulas me absente paulo neglegentius correctas esse dolens praemitto.

p. 2 Ἀγάθων l. 12 *Παυσανίου* ⟨*καὶ Εὐριπίδου τοῦ*⟩ *τραγικοῦ* coni. *Cramer* l. c.

p. 9 Ἄλεξις l. 17 leg. *πάτρως*.

p. 10 Ἀλκιδάμας l. 19 cum satis mirum sit, opus notari patris Alcidamantis nullum ipsius, in fonte Suidae extitisse *ὁ Μουσεῖον γεγραφώς* suspicatur *Gutschmid*, comparari iubens Nietzschium in Mus. Rhen. XXV p. 538 seq.

Ἀλκιμένης app. adde verba: qui comico — laudatas in sequentem plagellam delapsa.

p. 11 Ἀλκμάν l. 6 *τοῦ Σαδυάττου* coni. *Gutschmid.*

Ἀμέλιος app. corrig. 13 pro 14.

p. 12 Ἀνακρέων l. 9 Kusteri emendationem probat *Gutschmid,* qui de Dielsii invento *ἀκμῆς* anno quadragesimo illigatae nondum sibi satis constare fatetur. Ceterum rectius secludas *καὶ συνέγραψε* — fin.

p. 13 Ἀναξανδρίδης l. 1 *ρια' Gutschmid*: intellegi enim celeberrimos agonas Aegenses (Diod. XVI, 92), quorum occasione Philippus occisus est, et confirmari hoc corruptela *ριδ'* v. *Ἀριστοφάνης.*

app. del.: *δὲ* om. **A.**

Ἀναξίμανδρος app. leg.: 15 *καὶ* ante *περὶ*.

p. 14 Ἀνάχαρσις l. 4 leg. *Καδουία*. Ceterum verba *κατὰ δέ τινας* — fin. cum a nostris Laertii exemplaribus absint, aliunde petita esse videntur. l. 6 *διελθὼν περὶ* coni. *Gutschmid.*

p. 15 Ἀνδροκλείδης l. 1 leg. *τῶν* pro *τοῦ*, cum sic emendaverit *Portus.*

Ἀνδροτίων cf. etiam *Blass*, Att. Ber. III, 2 p. 342.

Ἀντίμαχος l. 20 cum nihil obstet quominus servus domini sui auditor sit, in sequentibus coniunctionem cum Panyaside chronologicis quibusdam rationibus refelli censet *Gutschmid*, itaque *αὐτοῦ* corruptum esse et latere nomen proprium, fortasse *Ἀνύτου.*

p. 16 Ἀντισθένης app. l. 20 leg.: *Διογένης*.

p. 22 Ἄρατος l. 21 Uxorem Antigoni Philam, f. Seleuci, confundi cum regis matre Phila, f. Antipatri, monet *Gutschmid.*

p. 24 Ἀριστέας l. 19 cum Abaride confundi Aristeam censet *Gutschmid,* cum testis locupletissimus Herod. IV, 15 eum circa a. 696 vixisse tradat et cum argumentum carminis ab eodem descriptum, tum fabula de Homero eius discipulo id ipsum confirment.

p. 28 Ἀριστοφάνης Ῥοδ. l. 6 ρια' scribendum esse, sed totum enuntiatum γεγονὼς — ὀλυμπιάδα pariter ut οἱ δὲ Καμειρέα ex vita Anaxandridis irrepsisse monet *Gutschmid.*

Ἀριστ. Βυζ. l. 17 ὀλυμπιάδα, βασ. Πτολ. τοῦ Φιλοπάτορος καὶ τοῦ μετ' αὐτόν· καὶ praefert *Gutschmid.*

p. 30 Ἀρριανὸς ἐπ. Meinekio obloquitur *Gutschmid*, cum Arriani nomen in Attali aequalem minime quadret, argumentum carminis indicium potius esse ratus Pergamenae poëtae originis.

p. 37 Ἄψυρτος app. leg.: lector aliquis addidit.

p. 47 Δημ. Φαλ. post ἐκαλεῖτο add. comma.

p. 49 Δημόκριτος l. 1 Χῖος, οὐ πάλιν ἀκροατὴς Ἀνάξαρχος, καὶ Ἱππ. coni. *Wilamowitz*, Antigon. v. Kar. p. 321 not., μαθηταὶ δ' αὐτοῦ διαφανεῖς ἐγένοντο Μητρόδωρος ὁ Χῖος (οὐ πάλιν ἀκροατὴς Ἀνάξαρχος) καὶ Ἱπποκράτης — corr. *Rohde*, Annal. phil. 1881 p. 747; idem corr. v. Ἱπποκράτης (p. 108, 3) ἐπιβαλεῖν γὰρ αὐτῷ (sic E; rel. αὐτὸν) νέον πρεσβύτῃ (cum Kustero).

p. 54 Διόδωρος μονάζων l. 21 octo libros κατὰ εἱμαρμένης excerpsit Phot. bibl. c. 223.

p. 56 Διον. Βυζ. Cf. Frick, Dion. Byz. Anapl. Bosp. Wesel 1860.

p. 67 Ἐπίχαρμος l. 22 confusam Euxenidis et Mylli memoriam in fragmento Apollodori Fest. p. 76 v. Romam extare monet *Gutschmid.*

p. 74 Εὐριπίδης app. Διονύσιος ἐν τοῖς κριτικοῖς tuetur *Rohde,* Mus. Rhen. XXXVI p. 530 not., Halicarnassensis intellegi cognominem antiquiorem libroque titulum κριτικοί (non κριτικά) fuisse ratus.

p. 77 Εὐστέφιος σοφιστής· Ἐπιφανειῶν τῶν ἐν Ἀδρόττοις ἐν τῷ εὐκτηρίῳ. *μελέτας Bernhardyi inventum executus coni. *Gutschmid,* verbis ὃ (vel potius ἃ) κεῖται ἐν Λυδίᾳ parenthesi inclusis et deleto ἔγραψε. Omnino cf. Marin. vit. Procli c. 32 in.

p. 78 Εὐφορίων. Cf. Müller III p. 71.

p. 81 Ζήνων Μουσ. Cf. Menagius in Diog. VII, 35. Verba καὶ αὐτὸς quae offensioni erant, melius post φιλόσοφος transponuntur.

p. 82 Ζωΐλος. Cf. Lehrs, Arist. p. 204.

l. 13 ἱστορίαν ἀπὸ θεογονίας seq. Zoilum pro Anaximene discipulo, auctore historiae τριτεύχου eiusdem argumenti (cf. Müller, Script. Alex. p. 33), perperam laudari putat *Gutschmid.*

p. 86 Ἡρόδοτος l. 10. Num Lygdamis Pisindelidis filius fuerit caute dubitat *F. Rühl* in Philol. XLI p. 68.

